MERICI CASAVBONI IS. F.

PIETAS

contra maledicos Patrij nominis, & religionis hostes.

LONDINI
Ex Officina Bibliopolarum.

M. DC. XXI.

THEOLOGICAL SEMINARY,
DEC 17 1910

SERENISSIMO, POTENTISSIMOQVE PRINCIPI, *IACOBO I.*

MAGNÆ BRITANNIÆ, &c. REGI.

MIratura non eſt Majeſtas Tua, Rex Sereniſſime, hominem ſpectatæ tibi innocentiæ defenſione opus habuiſſe, quæ non ignorat quàm ſit maledicentiæ his temporibus obnoxium, ſectari bonas partes, & propugnare veritatem; immo verò proprio periculo didicit: cuius nec fortunæ ſublimi-

tas, quam omnes sani verentur, nec omnium virtutum concentus incomparabilis, quem agnoscunt simul & venerantur omnes boni, deterrere quosdam potuit à dirissima sacratissimi nominis insectatione. Incredibile id possit videri, nisi iam olim monuisset scriptor sapientissimus de calumniatoribus loquens, *Nihil esse tam sacrum, quod sacrilegum non inueniat*, & eos esse constaret obtrectatores tuos, qui cum fidei, virtuti, religioni iam palam renuntiarint, quot in Te conuitijs invecti sunt, totidem parati sint Diuinam Majestatem blasphemijs insectari, si maioris inde lucri spes affulserit. Et tu quidem, R. S. hæc hominum propudia merito contemnis, cuius in tam sublimi fastigio facta, dictaq; omnia tot habent testes, vt metus non sit, ne quid famæ tuæ calumnia, vt vt artificio-

sa,

ſa, nocere poſſit. At priuati hominis alia ratio: cuius quanto vita obſcurior, & nota paucioribus, tanto magis injuriæ fabularum patet, magiſq; publicæ defenſionis indiget. Quæ igitur Patrem, dum viueret, rationes impulerunt, vt malevolorum in ſe, & ſuum Patrem conuitijs, quæ abſque ijs fuiſſet tanti non erat facturus, reſpondendum ſibi putaret, Pietas, ſtudiumq; Veritatis; eaſdem ipſe ſuſcipiendi huius operis, & edendi authores habeo. Quod ego cauſſis non leuibus adductus, Tuæ R. S. Majeſtati meo Patriſq; nomine dedico, conſecroque. Ille ſub tuis militans vexillis, tuis auſpicijs pugnans hæc odia retulit, hanc hominum malevolentiam ſibi conciliauit. Tu illum multo ante quàm vidiſſes, & maximis locorum intervallis ſeparatum amaſti iam tum, & habuiſti in tuis,

atque mutuarum literarum honore non es dedignatus. Tu illum præſentem omni fauore, gratia, & charitate complexus es, ſummiſq; in æternum Regiæ liberalitatis exemplum cumulaſti beneficijs, eodemque porro affectu, eadem liberalitate ad mortem vſque proſecutus es. Summa erat hæc benignitas: minorem fecit T. M. quæ tantum poſtea illi addidit. Parum tibi fuit iſta illi præſtitiſſe dum viueret; ſuperſtitem eſſe voluiſti defuncto tuam beneficentiam, & ad poſteros tanquam jus hæreditarium tranſire. Oculis tuis morte ſubtractus eſt Caſaubonus, non animo, non amori: cuius fructum eundem percipit defuncti familia, quem viuo exhibueras. Vel illud, quale eſt? quod adeuntem Te nuper ex occaſione matremfamilias tanta verborum, & vultus humanitate excepiſti,

pisti, vt eius temporis faciem videre illa sibi videretur, quum Te primùm adstante marito salutauit. Voluisti scilicet omnes intelligerent, hominis tibi dilecti non minus apud Te posse memoriam, quàm potuit præsentia, nec minus immortalem esse tuam erga Casaubonum gratiam, quàm illa immortalia, quæ in Casaubono tibi placuerunt. Et erunt adhuc, qui integritatem eius in dubium vocent? qui adulationem ipsi obijciant? Malorum certe, teste Plinio, infida est gratia, & amor obsequio & assentatione partus, nisi ijsdem artibus foueatur, sensim euanescit. Gratiæ autem, quæ post obitum tam stabilis, & inconcussa maneat, optima fuisse, & laudanda fundamenta necesse est. Quæ cum ita se habeant, vereor ego R. S. ne benignitati tuæ derogare merito videre-

rer, ſi ambitioſas preces adijcerem, quibus ſcriptum, quo Patris cauſſa agitur, & exiſtimatio defenditur T. M. commendarem. Non poteſt, quin curæ tibi ſit eius fama, cuius tam grata memoria; neque puto indignaturam M. T. ſi dicam, Patris defenſionem ad Te quoque nonnihil pertinere. Indignum ſane eſſet admirabili prudentia, quam immenſæ illi tuæ benignitati conjunxiſti, tantum honoris illi à T. M. habitum, quantum ſciunt omnes, ſi is re vera fuiſſet, quem facit aduerſariorum maledicentia. Sed vereor ne morer tua tempora. liceat in pio voto deſinere: Oro obteſtorq. DEVM, vt quem benignitate, clementia, & τῇ κοινωνίᾳ τῶν ἀνθρώπων ἀγαθῶν vnus præter cæteros maxime refers, is ſuam tibi R.S. benignitatem, clementiam, & beneficentiam det vni præter cæteros in omnibus

nibus consilijs, inceptisque tuis experiri, Teque quàm diutissime saluum populis tuis præstet, & incolumem.

Tuæ Majestatis

cultor & seruus humillimus

Mericus Casaubonus Is. F.

Quam debet, ipſo jure pietatis, Patrj,
Et, veritatis lege, tam proho Patrj,
Et, literarum jure, tam docto Patrj,
Defenſionem candidam, ſolidam, integram
Hic exarauit filius CASAVBONO,
Ne quid tuendam deſit ad cauſam bonam.
Laudo. Sepulto juſta genitorj facit,
Et filialem lucis vſuram refert,
Dum ſic paterno nominj lucem admouet,
Calumniarum nube depulſa grauj.
Mendaciorum plauſtra, rixarum ſtrues,
Opprobriorum complicatas ſarcinas
Diſſuere, diſſipare, peſſum vertere
Sic valuit, & ſic voluit. En talem ſibj
Optaret ipſe filium, qualem dedit:
Pugilemq; talem poſtulent, aptum bonis,
Hoſti timendum Veritas, Pietas, Fides.
Has aduocatas adhibet, his ducibus pugil
Contra irruentes impudentes rabulas
Prodit, paternæ non modo innocentiæ,
Sed gloriæ (quam nulla franget fabula)
Vindex, & hæres, & theatrum Filius.

Sic librum hunc approbavit
THO. GOADVS *S. Theol.*
Profeſſor.

QVi lectos cineres acri (parsistis aceto,
Quàm melius vobis abstinuisse fuit)
Nam qui delituit viuaci Vermis in ouo,
Nunc tepido Phœbi lumine fact' Olor
Perfida mordaces respersit in ora fauillas,
Fœdasq; à tumulo Patris abegit Aues,
Pristinus vt redeat detersо candor Olori,
Detq; pijs pœnas Manib' atra Manus.

R. T.

Amico Lectori
Salutem.

NOn, opinor, ægre feres, Amice Lector, si breui te Præfatione moror, vt ea scias, quæ mea interest te non ignorare. Haud ita post venerandi parentis obitum, ego, annorum tunc quatuordecim, missus sum ad celeberrimam hanc Oxoniensem Academiam ad studia Philosophica. Sciebam Patris φιλαλήθειαν, & eiusdem defendendæ studium multos ipsi malevolos, atque inimicos conciliasse, qui famam eius varie traducere, atque obruere calumnijs essent omni ratione conaturi. Sed ideo me minus hæc cura angebat,

aut

aut ab alijs curis auocabat, quia id quoque noueram, Patrem abundasse amicis, viris optimis & doctissimis, quos putabam tam veritatis, quàm ipsius caussæ patrocinium eius contra inimicos suscepturos, atq; omnem ab eo iniuriam studiose propulsaturos. Verùm aliter accidit: vtrùm quia rari fuerunt omni tempore, qui defunctorum amicos agerent, an quia potius indignos putarunt aduersarios, & eorum calumnias quibus omnino respondaretur, mitto nunc quærere. Insultat certè Heribertus Roswedus in sua quadam Præfatione meo Patri, vt qui desertus & derelictus fuerit ab omnibus spatio integri quadrienny: post quod tempus prodijt V. C. Iacobus Capellus, vindicias pro Casaubono postulans; sed qui, vt ipse profitetur, non tam personæ, quàm caussæ patrocinium susceperat. Vir enim doctissimus, & probissimus, cum nihil probè omittat, quod ad rem ipsam pertineat,

con-

conuitia & calumnias aduersariorum in Patrem, aut prorsus transit, aut leuiter, ac molli, quod aiunt, brachio repellit, in hac caussa, si fas est dicere, nimis mitis & modestus. Ego interim indefensum, atq; inultum jacere Patrem, pro eo ac debebam, ferebam grauiter & acerbè: quia tamen statueram accuratè aliquando vitæ ipsius historiam scribere, putabam fore commodam tunc occasionem mihi illum vindicandi, atque eam expectare decreueram. Postea illa, prob dolor! acciderunt, quæ me sententiam mutare coegerunt, vt crediderim mihi primo quoq; tempore aliquid contra varias aduersariorum calumnias pro Patre respondendum. Videbam etiam Capellum & Roswedum de quibusdam etiamnum magna contentione altercari, hunc studio calumniandi, illum veritatis, quorum ego videbar lites finire posse, paratus ab ijs præsidijs ad caussam necessarijs, quibus Capellus carebat. Cum igitur

maius

maius illud opus de Vita Patris non posſem nunc expedire, cui de multis quærendum prius, & ab alijs inquirendum, quæ adhuc ignoro; viſum eſt hæc pauca, omni moræ longioris cauſſa procul habita, ſcribere. Optaſſem autem mihi vt contigiſſet vti doctorum virorum opera, qui propter vſum, & conſuetudinem cum Patre diuturnam, aut alioqui quoque res eius cognitas habuerunt: ſed ego ab illis procul hic [illegible] auxilio illorum nullo ſum adiutus. Supplerunt tamen hunc defectum ipſius Epiſtolæ, quas habebam, & vultorum autorum Ephemeris, è quibus plera, hauſi, & didici, quæ ad hoc opus erant mihi neceſſaria. Profiteor autem me hoc quicquid eſt operæ ad refutanda tantum mendacia, & calumnias, hoc eſt ad defenſionem perſonæ ſuſcepiſſe. A re ipſa autem, & cauſſa abſtinui, cuius partes iam egiſſe Capellum diximus, vt recte poſſint quæ ille ſcripſit ſufficere. Quæcunq; tamen

men ille præterijs, aut negligentius est persecutus, eò volumus à nobis expectari, si Deus nostris studijs & conatibus adspirarit. Nunc, ne expectes, Lector, exquisitam aliquam audaciæ deprecationem, quod ego ingenio mediocri, eruditione nulla, ab omnibus denique ijs imparatus, quæ solent laudari, in publicum prodire audeam. Quorsum enim? Non hoc opus doctrinæ, sed pietatis; non ad famam mihi parandam, sed patrem tuendam. Quid refert quomodo scripserim, quam eleganter, & ornate, modo vera scripserim? Ferunt Græci Regis filium, eum prius mutus, & elinguis fuisset, ad seruandum Patrem magno nisu naturæ vim freisse, & abruptis linguæ vinculis sermonem recepisse. Ego, qui quoquomodo me possum exprimere, vbi fama, & existimatio mei Patris agitur, silerem? Apage verecundiam, quæ piaculo propior. Hæc te volui, Lector, nescium ne esses. Vale.

MERICI CASAVBONI IS. F. PIETAS

Contra maledicos Patrij nominis *& religionis hostes.*

PARS PRIMA.

MAgna fuit, Lector, & optanda fœlicitas illorum temporum, quibus ea erat ingeniorum simplicitas, vt doctis inter se liceret saluâ concordiâ, sine felle atque acerbitate dissentire, ac Veritatem quærere. Hodie nullum crimen est capitalius libertate iudicij, nihil conuitijs & calumnijs opportunius, quàm contra aliorum opinionem, quid in quáq; re sentias, exponere. Pauci admodum aliquid omnino scripserunt, qui pro seipsis postea scribere non sint coacti: adeo multi, aut Veritatem ipsam odio habent, aut sibi putant iniuriam fieri, nisi in ipsorum verba iurauerint. Ex omni porro ambiguâ & controuersa materiâ, nulla est quæ acrius & maio-

ri contentione ſoleat agitari, quàm quæ eſt de Fide ac Religione diſputatio. Illa verò quantò ſanctius argumentum, tantò magis animi eorum qui propugnatores eius audire cupiunt, ab omni malâ malitiâ, & obtrectandi vitio puri deberent ac immunes eſſe: rem tamen ſecus habere docet nos experientia: nam qui *pias fraudes* ad excitandum zelum, id eſt, figmenta & fabulas ineptiſsimas iam pridem laudarunt, hodieq; ijs vtuntur, vt per omnia ſibi conſtarent, pia quoq; conuitia, piaſq; calumnias excogitarunt, quibus aduerſarios oppugnarent. quod quidem ita faciunt ſtrenuè, vt in ijs ponere videantur vnicum cauſſæ ſuæ præſidium. Sed miſeram potius atque deſperatam tali patrocinio! Quæ conſcia eſt enim ſuæ ſibi bonitatis, nunquam tam abiectæ ſpei eſſet, vt turpe adeo auxilium ſuſtineret implorare. Nam quæ alioquin maior inſania, quàm vt Veritatem tuearis, vti vanitate? Egregiè olim dicebat in re non diſsimili ſcriptor elegantiſsimus, *Οὐκ ἀναλύσει ὁ Θεὸς ἀπειλῇ τὴν ἀρετὴν, ὁ δεῖνα συνῳδίας συμμάχου.* Synes. Epiſt. 5. Produnt igitur ſe miſeri veteratores, & quam cauſſam defendant, ratione ac modo defendendi palam faciunt. Vt mirum non ſit, ſi ex ipſis illis partibus aliquando

quando non boni tantùm offendantur hâc portentosa licentiâ propter rei fœditatem, sed alij quoque, non illi quidem forte admodum boni, sed aliquantum prudentiores, qui probè intelligunt, non minus obesse causæ suæ hos μωδοκάκους, & calumniarum artifices apud perspicaces & cordatos viros, quàm prosunt apud quosdam simpliciores, cœcamq; ignorantiâ plebeculam; præcipuè qui videant multos non parcè & callidè vti hâc licentiâ, vt cum colore mentiantur, dicantque, etiamsi non vera, verorum tamen speciem habentia, (quod ipsis est concessum dubijs rebus) sed ita φῶρλαν ἐξ ἀδήλου, ita sine arte ac iudicio, vt hient ac pateant fraudes cuiuis, modo qui elephanti corio non sit tectus, fiantque quod ait alicubi Plautus, *Doli non doli*. Hoc adeo inde videtur esse, quod quidam sunt homines naturâ maligni, mendaces, φιλοψεύστους, qui nacti hoc pallium pietatis, & zeli insito vitio, securi scilicet, frænum laxant ingenio prurienti. Adde quod hoc prætextu multi priuatum dolorem, aut suum aut alienum, pretio conducti vlciscuntur. Quare nihil tam ineptum, tam portentosum aut horribile, quod de magnis viris dictum, scriptumq; non sit. Si

nos hoc nunc ageremus, posſemus facillimè, quæ diximus exemplorum infinito numero confirmare: nunc non eſt id nobis propoſitum: ſed neq; puto quemquam eſſe tam malè verſatum in huius ætatis libris, qui in his mihi non ſit, etiamſi longiori operâ ſuperſedeam, facilè acceſſurus. Hoc videor poſſe verè dicere, oppidò quàm paucos ſcripſiſſe de rebus hodie controuerſis, eâ modo efficaciâ vt aduerſarijs ſtomachum mouerint, qui hæc experiendo non didicerint. Quibus autem, & cuius generis calumnijs vti ſoleant, poterit Lector ex ijs cognoſcere, quæ deinceps ſumus dicturi ad defenſionem *Iſaaci Caſauboni* venerandæ memoriæ Parentis, in quem ſui artificij, malitiæ, & fraudis omne genus exemplum omnibus numeris abſolutiſſimũ plures ex illis ediderunt. Viſum eſt autem pauca quædam de eo præmittere, qui erit totius orationis argumentum.

ISAACVS CASAVBONVS natus eſt Geneuæ (quo parentes metu viuicomburij propter religionem cõceſſerant) anno partæ Salutis CIↃ IↃ LIX. XII. Kal. Mar. patre Arnoldo Caſaubono, viro vitæ integerrimo, & doctiſſimo, matre Iohannâ Roſſeau ſingularis exempli fœminâ. Statim ab ineunte

eunte ætate destinatus optimarum literarũ studijs, ad patris curam & diligentiam magnam attulit ingenij docilitatem, animique alacritatem pene incredibilem. Ante annum ætatis nonum emendatè Latinè scribebat, & expeditè loquebatur, magnâ patris & amicorũ voluptate, qui indole pueri supra modum capiebantur. Iam magnam spem sui excitauerat, quum publicâ temporum calamitate funditus euersa sunt ipsius studia. Qui enim fuerat magno patris studio ac labore institutus, diuturnâ eiusdem absentiâ nauantis operam Ecclesiæ necessariam tantum dedidicit, vt, quod ipse solebat dicere, duodecimum agens ætatis annum, vix nomen ipse suum declinare posset. quam tantam mutationem & ætas ipsa excusat, & multis de causis non est miranda. Nam præter quod eo tempore caruit omni ope, exemplo, & consilio; (quæ doctorum penuria erat in illis locis propter afflicta Reipublicæ tempora) varijs casibus iactato, periculis indies exposito, deerat scilicet otium, & prior animi, vitæque tranquillitas. Reuerso post triennium patre, studia denuo inchoauit ab ipsis fundamentis, sed tanto ac tam constanti impetu, vt fuerit sæpe

imperio patris quasi sufflaminandus, magnum alioquin vitæ periculum, aut saltem sanitatis incursurus. Habuit tamen & hoc tempus suas remoras, & impedimenta non pauca: maximè vero nefandæ illius, atque æternùm execrandæ lanienæ tempore, quæ incidit in annum ætatis ipsius quartum supra decimum. Tunc illum pater primum Græcis literis initiauit, cum sceleratas sicariorum manus fugientes, in syluis & solis locis miseti, ingenti tamen animo, latitarent. Mox pater ita vacauit publicis negotijs, vt filij studia cogeretur omittere. Quis inde status studiorum eius fuerit; quæ vitæ conditio, referam ipsius verbis è quadam Epistola. *Anno ætatis* XIX. *Geneuam sum missus studiorum caussâ. Hic ego quantum poteram dies noctesq; vires contendens sitim meam conatus sum explere. Itaq; Dei bonitas vigilijs nostris ita benedixit, vt anno ætatis* XXIIII. *Francisco Porto Cretensi, Græcorum omnium nostri temporis longè doctissimo, viro admirandæ probitatis, & pietatis singularis, in professione literarum Græcarum successerim. Vixi annos* XIV. *Geneuæ Professor, primo Græcarum literarum, deinde etiam Latinarum, aliquando etiam Hebraicarum.* Hæc ille ad amicum.

Ad-

Adhuc adoleſcens editione Notarum in Diogenem Laertium primis ſui nominis auſpicijs præluſit, & optimo parenti θρεπτήριον ſimul & Minerual aliquod perſoluere conatus eſt. primum enim illum ingenij ſui fœtum patri dedicauit, eidemq; magnâ reuerentia pari pietate iuncta detulit. Anno Domini CIↃ IↃ LXXXVI. Arnoldus Caſaubonus fato conceſsit, anno climacterico, ætatis ſuæ LXIII. Pater qui tunc aberat dolorem ſuum ex eo nuntio teſtatus eſt in commentarijs ad Strabonem, quos tum ſcribebat, his verbis. *Hoc tempore allatus mihi triſtiſſimus de obitu, hei mihi! optimi optimeq; de me meriti parentis mei nuntius ita me perculit, affecit, vt prorſus ab his manſuetioribus Muſis abhorrens animus, alias literas requirat, in quibus acquieſcat, ac tanti vulneris medicinam reperiat, quæ profectò non aliæ ſunt, quàm ea, in quibus annos fermè triginta idem ille μακαρίτης Pater meus ſe non ſine fructu (Deo gloria ſit & laus) exercuit; quaſq; voluit ille ſemper ſuis liberis verſari ante oculos.* Annum ætatis agentem quaſi XXVIII. grauis eum lanquor inuaſit, quo admonitus ſuæ mortalitatis, omnibus alijs ſtudijs renuntiauit (totus autem fuerat iam aliquot annos in ſtudijs Philo-

sophicis & Iuris-prudentiæ) seq; totum ad sacra contulit. quæ etiam postquam ex tabe illa conualuisset, & pristinam valetudinem recuperasset, nunquam penitus omisit, tantum semper temporis illis libentissime tribuens, quantum poterat per alias occupationes pro institutâ ratione vitę necessarias. Sub idem tempus Henricus Stephanus V. C. & optimus, Florentiam Stephanam egregiæ tum spei filiam illi iuueni despondit, ac mox collocauit. Anno Domini ↀIↃIↃ XCVI. ætatis XXXVIII. cum honestissimâ conditione, à S. P. Q. Monspelienſi inuitaretur humanissimè ad publicam humaniorum literarum professionem in ipsorum vrbe, crebræq; amicorum adhortationes accederent, tandem sub finem anni ἰχὼρ αἰχορη θυμῷ patriam reliquit, & Monspelium migrauit: quò cum peruenit, incredibili amicorum gratulatione, & mirificâ publicæ lætitiæ significatione exceptus est, cum etiam ipsi Vrbis Consules obuiam illi processissent. Munere Professoris ibi functus est duos annos & aliquot menses. Iam sua illi fama magnos Lutetiæ amicos pepererat: plurimis quoque breui profectione, ex occasione ab eo prius illuc institutâ, familiariter innotuerat.

rat. Hi igitur omnes, omnem mouebant lapidem vt eum Lutetiæ posſent habere proprium, in eumq; finem crebro eum Henrico Magno rerum tunc in Gallia potienti, commendabant. Tandem anno Domini ɔlɔ lɔ lC. literis Regijs accitus Monſpelio valedixit, & primum Lugdunum Conuenarum ſe contulit, vbi quandiu fere fuit vſus eſt hoſpitio viri Illuſtriſſimi Merici de Vic, qui inprimis fauebat eius ſtudijs, atque arcto eum amore complectebatur. Poſtea Lutetiam profectus eſt, ſed ad breue tantum tempus, Lugdunum mox reuerſus, vt editionem Athænei abſolueret, quam ſub prælo reliquerat. Anno demum ɔlɔ lɔC. eo migrauit cum familiâ, ſedemq; ibi firmã fixit. Vrbe autem plena hominum diuerſa de Religione ſentientium, qui præſertim ex illo numero plurimos amicos haberet, non poterat frequentes de Religione velitationes euitare. quod cùm alias ob cauſas accidebat ipſo inuitiſſimo, tùm etiam ferebat ægerrimè tantum ſibi perire temporis à ſtudijs, ſeq; literis ſuis ſedulo vacare non poſſe. Statuerat igitur γῦν, καὶ γῦν, atq; alibi quietiores Muſas colere. Verum quum miſſionem ipſe, & per amicos iterum atq; iterũ à Rege petijſſet, impetrare tamen non potuit.

potuit. Multæ ſane ſunt oblatæ illi cõditiones, Sedani à Duce Bullionio, Nemauſi, & Heidelbergæ, alibi: omnes luculentæ & magnis illecebris. Sed poſtquam ſpes illa tranquillioris loci decollauit, nempe quod erat relictum, præſentibus ſe vt potuit, accommodauit atque patienter acquieuit. Anno Dom. ɔIↃ IↃ CX. accidit id in Gallià, quod etiamſi nulla ſit vnquam dies, nulla vetuſtas obliteratura, nemo tamen poteſt, præcipuè qui ſit γνήσιος Gallus, ſine horrore meminiſſe. Poſt nefarium optimi Regis parricidium tantam rerum publicarum μεταβολὴν ſecuta eſt neceſſario immutatio quædam priuatarum quoque fortunarum. Pater iampridem innotuerat Sereniſsimo Magnæ Brit. Regi, & non vnas ab eo literas acceperat, quibus ſuam illi beneuolentiam Princeps Optimus benigniſsimè ſignificabat. Auebat etiam mirum in modum ritus Eccleſiæ Anglicanæ, ac conſuetudines cognoſcere certiùs, atque adeo ipſis oculis explorare. Cum igitur diu quæſita occaſio tandem ſe obtuliſſet occiſo Rege Chriſtianiſsimo, vltro inuitatus à Principe benigniſsimo, acceptis ab Ill. Archiepiſcopo Cantuarienſi literis humaniſsimis, ſuſcepit iter in Angliam, miſſione

ne prius à Regina per amicos impetratâ. Ibi expertus est summi Regis admirandam benignitatem, & aliorum quoque Procerum beneuolentiam erga se incredibilem. Accidit paucis post aduentum mensibus, vt Epistolam ex occasione scriberet ad Frontonam Ducæum Societat. Iesu Theologum; item aliam breui interuallo ad Ill. Cardinalem Perronium: vtraq; est paulo post publici iuris facta. Postea cum Rex Serenissimus diutius eum sibi retineret, optatiotij factus compos, ad illius opus se accinxit, & quod tot annos meditabatur, Annalium Cardinalis Baronij examinationem. Hoc illud est; hinc illæ lachrymæ; hinc, inquam illæ iræ & odia, hinc falsæ absurdæq; criminationes, hinc deniq; calumniæ diabolicæ. Dum adhuc sese intra limites profanæ literaturæ, ἐν τοῖς ἔξωθεν παιδεύμασι continuit, quod paucis datum, ipse facile erat assequutus, vt laudem sine odio, sine inuidiâ inueniret. aut saltem (quia id videtur ὃ τῶν πολλῶν ἀδύνατον) vt perpaucorum, atque adeo vnius tantum atque alterius liuorem & maleuolentiam, infinitorum studia compensarent. At vbi Theologica semel attigit, nulla æquitas, nulla moderatio, nulla modestia profuit: tanquam

rem

rem illicitam ac nefariam esset aggressus, ita animi multorũ in ipsum sunt protinus immutati. Sed bene est, quod nihil inexpectatum, nihil non illi præuisum diu acciderit. Cùm vniuersim inuidiosum est immiscere se alicui de Fide cõtrouersiæ, tùm maximè illa contentio odijs, conuitijs, calumnijs opportuna est, quæ est de Romani Pontificis potestate temporali. Hæc est hodie (si verum volumus) apud multos summa Fidei, hæc cardo in quo vertitur omnis aduersariorũ Theologia: qui illam oppugnat, is arcem illorum inuadit, quam si semel amiserint, de cæteris nõ admodum, aut certe non ita acriter contendent. Hanc igitur acerrimè, hanc animosissimè propugnant, & eos qui contra mutire audent, habent loco hostium infensissimorum, illosq; quibusuis artibus, quauis ratione, ὦ Ζεῦ ὦ βέλος conãtur opprimere. Huius rei vnicum nunc dicam argumentum, ex eâ, quæ nuper prodijt duorum Benedictinorum Patrum, Theologiæ professorum, à Cardinalibus ad Pontificem maximum Appellatione. Hac Appellatione ostendunt authores *Card. Bellarminum, tam extra omnis modestiæ & charitatis Christianæ limites tam horrenda crimina Widdringtono imposuisse, illũq; tam*

in-

inuerecundè calumniatum esse, vt quantumuis Ecclesiæ Cathol. Rom. se filium esse profiteatur, ipso tamen (vt illi loquuntur) *Luthero, Caluino, aut alio quouis perditissimo, aut in reprobum sensum dato homuncione deteriorem faciat*, idque ob has tantum causas quod ille Widd. *Iuramentum Fidelitatis, ab Anglis licitè suo Regi præstari posse affirmarit, & potestatem Papæ deponendi Reges, suis Dominijs priuandi, de Fide certa esse negauerit.* Quid igitur Patri meo sperandum fuit, qui huic doctrinæ in illis suis libris totis se viribus opposuit? Sed neque illud ignorabat, quantæ aleæ res esset, quantæ confidentiæ, Baronio, quem sui pro ἀναισχύντῳ καὶ ἀμιμήτῳ colebant, audere contradicere. Hæc, inquam, omnia ille non ignorabat. Neque defuere ex illis castris boni & amici viri, qui sedulo illum monerent, & ab inceptis deterrere conarentur, Haberet aliquam rationem suæ famæ, quàm certissimâ ratione huius generis scriptis ibat imminutum; haberet & tot amicitiarum, quas erat (ô tempora!) violaturus. Denique si quieti suæ, si otio, si tranquillitati consultum vellet, ab omni genere contentionis in negotio Religionis abstineret.

Hæc

Hæc & similia illi proponebantur; sed qui iam omnia perceperat, & animo secum ante peregerat, ad hæc imperturbatus, interritus, multorum odia atque inimicitias suscipere, & vel luere pœnas, si ita casus ferret, non recusauit ob honestissimum factum, quo suam pietatem, Deo & verè pijs approbaturum se sciebat. Si essemus ex ijs qui quauis ratione συλλύειν ἱστοβίβλους, æquâ an iniquâ, nihil pensi habent; possemus virorum magnorum Epistolas proferre, quæ apprime ad rem facerent. Sed tanti mihi non constet veritas, vt propter ipsam humanæ societatis iura migrem, cum putem illas non posse, sine eorum periculo, qui scripserunt, euulgari.

Primum opus, quod edidit in Anglia, fuisse diximus Epistο. ad Fron. Ducæum: agit illa præcipuè de Papæ Monarchiâ temporali, de iuribus Regum & iuramento, quod vocant, Fidelitatis, alijsq; id genus, de quibus notum est, eandem non esse omnium Pontificiorum sententiam. cætera pertinent ad fidem historicam, de horrendâ illa proditione pulueraria, de authoribus, non de causâ ipsâ, & rebus fidei controuersis. Tamen quia, vt ante dicebamus, quæ minimè ad fidem pertinent, ea pro

fun-

fundamentis religionis plurimi nunc habent, magnam illi inuidiam hæc Epiſtola peperit, multorum odia atque inimicitias conciliauit. vnde ſtatim contumelioſiſſimi in ipſum, & virulentiſſimi libri prodierunt. Epiſtolæ ad Card. Perronium, non tam Pater author erat, quam Rex ipſe ſereniſſimus: quare igitur in illum propter eam inueherentur, cauſa non erat: nec, quod ego quidem ſciam, hactenus factum. Exercitationes in Baron. non multo ante authoris obitum ſunt editæ. Quæ igitur poſtea in illum ſunt ſcripta, iam rebus humanis exempto prodierunt omnia. Nos, quod ad illa attinet quę Patre adhuc ſuperſtite exierũt, ſequemur eius iudicium, contenti partim ipſius reſponſionibus, partim ſilentio, & generoſo contemptu. ijs reſpondere quibus ipſe fato occupatus non potuit, putamus eſſe pietatis noſtræ; tum etiam, ne ſi ſileamus, non tam putent aduerſarij indignas fuiſſe ſuas calumnias, quibus reſponderetur, quam defuiſſe, qui vellet & poſſet illam ſubire prouinciam. Primum videamus ipſos authores qui ſint, qui ab illo quo dixi tempore aliquid in eum ſcripſerunt, tam eorum, qui ſcripta ſimul & famam eius, quam qui hanc ſolam famoſis libellis appetiuerunt. Prin-

Princeps fuit in hoc agmine Heribertus Roſwedus Ieſuita, qui decerptis hinc & inde locis ex Patris Exercitation. atq; improbè vellicatis, capita XII. compoſuit quæ hoc titulo publicauit anno IↃIↃCXIIII. *Lex Talionis duodecim tabularum, &c.* Nihil ego de viri illius eruditione detractum velim, ſed dicam quod res ipſa clamat, In illis quæ ſcripſit in patrem ſolidioris alicuius eruditionis rara veſtigia, fellis autem & maledicentiæ inſignes vbique notæ. Quum autem ſit fabularum amantiſſimus, quod ſcripta eius teſtantur, (videat qui ridere volet illa de apibus & araneis, quæ ſunt in Anticap.) minus mirum, eum ita ſtudioſe & accuratè collegiſſe pleroſq; ſermones, atq; rumuſculos, qui erant de Patre meo ſparſi, atq; auſum confidenter ipſi obijcere. Iacobus Capellus, V. C. quum libro, quo vindicias pro patre aduerſus præcipuos ipſius aduerſarios poſtulabat, has quoq; tabulas, non adeo copioſe quidem, ſed provt illæ merebantur, refelliſſet, Heribertus ſtatim ſtylum reſumpſit, & officioſas has Capelli vindicias *explodere* conatus eſt, edito libro anno XIX. quo etiam priores in patrem calumnias repetit. Contra hunc librum eodem anno ſcripſit Capellus

pellus *Assertionem Bonæ Fidei*, vsus priore suo instituto, vt præcipuis immoraretur, leuiora præteriret. Sed Roswedus, vt est famæ suæ diligens, & alioquin non ignauus miles, alium rursus hoc ipso an. ↄ ↄ CXXI. emisit librum bene magnum, quem nominat, *Syllabum malæ fidei Cap.* quo vetera sua reponit, noua affert, sed pauca ad patrem spectantia, cum iam hæc lis sit facta Capelli propria.

Heribertum secutus est author Elixir Caluinistici, quisquis ille fuerit: ipse se appellat Andræam Schoppium. *Andræas sane & Schoppius*, nomina sunt illustria è familia calumniatorũ: sed Andræas Schoppius monstrum est hactenus mihi incognitum & inauditum. Quum primùm igitur vidi illam Satyram, desiderio hominis cognoscendi; quia se profitetur Gasparis Fratrem, vitam Gasparis percurri: sed ibi quum de sorore sint non pauca, de fratre ne quidem reperire potui. vt non immerito dubitem talis ne quisq; sit homo natus, quem vult hic se credi, *And. Schoppius*: nisi forte quia Gasparis *ὁμοπατρίου*, vti aiunt, non cum vno viro rem habuit, ius maternum prætendens hic Andræas, *Andreas Ad. Gaspar Schop.*

gloriæ & honoris auidus, in illustrem familiam sese inseruerit. Nam vel illud, quantæ, quæso, ambitionis, quod in libelli vestibulo plenâ scripturâ, *Andreas Schoppius, Gasparis Frater?* Sed quicquid huius sit, certum est tale illud esse scriptum, vt ipse Gaspar Schop. illius author esse potuerit; adeo mendacijs & calumnijs refertum est, adeo plenum maledictis & conuicijs, quorum ὡς ἀπὸ τοῦ ἀναλίσκοντος ἄχθος ἄρτου, adeo totum ineptum, insulsum & insipidum. Iocorum ac salium quam putida ac puerilis affectatio? ἀ τῶ μὴδὲ ἀνδρικὴς καὶ ἀστεμφὴς quàm inficeta & injucunda? vix puto quenquam tam validi stomachi, qui possit, paucas licet paginas, sine nausea ac fastidio perlegere. Quæ autem sunt pag. 24. &c. vbi quasi depolita mimi persona seria videtur promittere, iubetque suos lectores togam componere, quis non dicat authorem ebrium aut insanum scripsisse, qui citatos ex Exercitat. locos inspexerit? Peream nisi meruerit hic homo, quisquis sit, vt Gasparis Schoppij frater credatur esse.

Andreæ fratri, (ita enim lubet credere) comes exijt anno ↀIↃ IↃ CXV. Gaspar Schop-

Schoppius, quamuis perſonatus aſſumpto *Holophernis Kriſſoederi*, vero, an ficto ad arbitrium, nomine. De authore, etiam ſine indice conſtare poterat: laruam tamen illi detrauit Eudæmon-Iohannes, & ſuo nomine cognoſcendum exhibet, Caſtigationum lib. II. p. 125. Iam diu eſt quum audiueram Schoppium tale quid eſſe meditatum; ſed an liber etiam eſſet editus, compertum non habebam: fecit mihi illius copiam nuper, vir ſingularis pietatis & doctrinæ, meorumque ſtudiorum fautor optimus & humaniſſimus Iohannes Prideaux, Regius in hac celeberrima Academia Theologiæ Profeſſor, & Procancellarius ampliſſimus. Forte illum domi ſuæ conueneram, atque inter alia de hoc Schoppij libello rogabam, an haberet, *Habeo vero*, inquit ille mihi, *ſed miro adeptum caſu. Inuiſeram Illuſtriſſ. Bathonienſem Epiſcop. qui tunc illum librum habebat in manibus, iamq; aliquot paginas delibauerat, quum longioris lectionis impatiens, infœlicem librum in obiectum focum proiecit indignabundus. tunc ego citiſſime arripiens, At ego, inquam, iam bene ſum exercitatus in*

eiuſmodi ſcriptis : lubenter in hoc experiar, quantum mea valeat patientia. ſic illum præſenti periculo eripui, & adhuc habeo. hæc ille mihi. Nec erant ſane tam dignæ miſeræ chartæ, quam author ipſe dignus qui flammis vltricibus traderetur. Is eſt quidem Schoppius, à quo nihil non horrendum & execrabile debuit expectari : videtur tamen hoc in libro omnes ingenij neruos contendiſſe, quò fieret ἀντὶ ἀντῦ χάρμα, quantumq; alios omnes mortales iam pridem impportunitate & ἀπρεπείᾳ præteriuerat, tantum ipſe ſeſe hoc nouo ſcripto ſuperaret. Ac ne cuiquam de ſua ἀβελτερίᾳ dubium relinquat, ipſe ſe Atheum ipſo ſtatim initio tantum non fatetur, & iactat. Quid enim ſibi vult Alaſtor, qui quum intenderet alios inaudito exemplo calumniari, & omni conuitiorum genere proſequi, congerit præcipuos è S. Scripturis locos quibus vetamur alijs vllam omnino contumeliam facere, aut conuitium dicere ? nonne vt omnibus palam faciat, quo loco Dei mandata habeat, homo perditus, atque Deo ipſi (horreſco referens) illudat? Monſtrum in vltimas terras deportandum ! verum Satanæ mancipium ! Ecquis iam mira-

p. 31.

mirabitur talem hominem paſſerum conditionem humanæ ſorti prætuliſſe, quia eos eſſe obſeruarit, vt ait ipſe, ad Veneris palæſtram fortiores & valentiores, quam ſint homines? verum ac genuinum Epicuri de grege porcum! Abominati ſunt veteres ethnici ἡδυάγνον quendam, qui gruis collum ſibi optabat, vt voluptatem è cibo longius perciperet: quid nos de hoc dicemus, profeſſione ſaltem & nomine, Chriſtiano? Et hic audet quenquam, vel improbiſſimum, audet ſcelus, accuſare, & tanquam Cenſor aliquis, & morum magiſter ignominiâ notare? Ille meo patri, quem ſcit ipſe ſpectatiſſimæ ſemper integritatis fuiſſe, ſtupra, furta, lenocinia, adulteria, (hæc ipſa enim crimina illi impingit, & alia quoq; vel dictu fœda) audet obijcere? mirum mihi videtur & incredibile, niſi quod Schoppium cogito. illum cogito, qui, vt aiebat de Menone Xenophon ὅστις τε ἀγάλλεται δεῖ ἀναιδείᾳ, καὶ ἀληθείᾳ καὶ ἐπιεικείᾳ ὅτῳ καὶ ἀνὴρ ἀγάλλεται δεῖ τῇ πλάτανῳ φυλῇ, in impudentia, in bonorum obtrectatione, atque adeo in ipſius Virtutis inſectatione. Quis igitur putet aliquam eorũ rationem habendam quæ hic talis obiecerit, aut quis potius non credat, probitatis atq; integri-

Comment. in priap. p. 63.

tatis argumentum, ab illo accusari? Si verum est, quod ait, opinor, alicubi Seneca, *Turpe esse laudari à turpibus*, est profectò vituperari ab isto quam laudari multo magis optabile & expetendum. Neque id verendum puto ne forte liber ille veniat in alicuius manus, cui ignotum authoris nomen, & mores incogniti, possint imponere: nam quis fere est eorum qui in literis versantur, cui notus & auditus non sit *Schoppius*? Verba sunt Taciti de Caio Petronio, *Vtq; alios industria, ita hunc ignauia ad famam protulerat*: hic quidem verè possit gloriari plus se suis vitijs nominis ac famæ sibi peperisse, quam multi ab omni æuo excellenti atque heroica virtute viri. In circulis & sermonibus, vbicunque est, vt alia taceam de impudentia, maledicentia, atque audacia, mirum nisi Schoppij quoque fiat mentio, nisi ille fabulæ maxima pars. Non possum quin insigne eius mendacium & fraudem detegam, atque obiter conuincam; non quia priuati alicuius fama læditur; sed quia res publicè gesta debet ab impudentissimis nebulonis mendacijs, ac sycophantijs vindicari. Ante sex, septem annos acta est Cantabrigiæ Comœdia coram Rege & qui-

quibusdã primariæ nobilitatis viris. Cum esset pro re natâ introducendus notissimus aliquis & decantatissimus nequam, isque pro loci ratione, è turbâ sciolorum, quem, quæso, præponerent clarissimo & celeberrimo Schoppio? Erat autem personatus ille Schoppius reus sistẽdus, reusq; peragendus. Scimus Poeticam licentiam, qua veris cum fert occasio licet addere, & res quouis modo accommodare proposito, modo τὸ πρέπον obseruetur. Per hanc sane legem poterat Schoppio dari famosissima quæuis persona. Adeo tamen religiosi fuerunt authores Comœdiæ vetus, vt ludicra nollent ab historica veritate discedere. Criminibus furti, maledicentiæ, & [illegible] postulatus & conuictus est. Quid hic quod pro vero tribunali, & iudicio agi non debuerit? Cum ventum est ad genus pœnæ, decretum est vt ore eius rebus condignis obturato, impurus homo, impurissimam animam per dignas eâ sedes, siue vt cum Plauto loquar, per inferiorem gutturem exhalaret: atque hæc ita se habuerunt. Iam qui volet aliquod specimen Schoppianæ fidei, legat eius Epistolam Dedicat. libri anno 1619 editi hoc titulo, *G. Schopp. Hæreticus Elenchomenos,* Vide vitam.

vbi etiam videbit nihil huic excetræ ſacrũ, quæ Vnctum Dei, veneno ſuo conatur aſpergere. Iure miretur aliquis quid adeo illum offenderit? an dolet vitia ſua & ſcelera audita in ſcænâ? non poteſt: niſi viri magni vani fuerunt, qui ſcripſerunt proprium eſſe ſi *ἀναιδοῦς, perditi ac profligati hominis, καὶ τὸν ἀεὶ λοιδορεῖν, καὶ ἐν ἅπασιν ἐξῶν δυσφήμῳ τὸν ἀκόλαστον ἔχειν*. Intelligis vt puto, Lector, quare dixerim non habendam rationem eorũ quę Schoppius obiecerit. Iam dabo tibi, quod rideas: eſt ſane ridendum. Scribit igitur hic nebulo, Patrem meum poſtquam legerat huius ſuum libellum ex deſperatione vitæ reruntiaſſe, neq; inde viuere deſiſſe. Eodem etiam libro ſcribit idem Ioſepho Scaligero accidiſſe, lecto, quod in eum ſcripſerat, immani volumine. Vide quanta res ſit Schoppium iratum habuiſſe. cauebunt omnes, puto, in poſterum ne tanti Alaſtoris offenſionem incurrant. Sed vt ſerio loquar, verum eſt, & patrem legiſſe librum illum, & paucos poſt menſes factum eſſe (ita opto & ſpero) melioris vitæ participem. ſed vix puto conceſſuros medicos illum ex animi ægritudine obiiſſe; & miror huius commenti non veniſſe in mentem

isti Gaspuris fratri, qui toties repetit in sua Satyra cum ex calculo perijsse. nisi forte calculus ex paucorum dierum dolore possit prouenire. Cæterum si vis scire lector, vt pater affectus fuit lecto illo Schoppij libro, en tibi locum ex eius Ephemeridibus, qui tibi satisfaciet. VIII. Id. Mart. Hodie *Rex optime mihi ostendit librum Schoppij in quo & ipsius maiestatem & patrem meum, vxorem & me horrendis conuitijs prosequitur. Miseram Religionem Romanam, quæ aliter nisi per diabolica mendacia defendi non potest. Tu scis Iesu Christe veritatem aut falsitatem illarum criminationum, tu iudex esto. ego autem glorior propter nomen tuum hæc & meos pati contumelias. tibi honor & gloria. Amen.*

Apparet Schoppium quædã quæ erant in illo Ms. exemplari, postea induxisse: nam in editis de Matre verbum nullum.

Iulius Cæsar Bulingerus scripsit suas Diatribas ad Exercitationes patris anno, vt videtur ex eius Epistola, ↀIↃ IↃ CXV. quanquam Lugdunensis editio (nec scio an sit alia præter illam) anno tantum ↀIↃ IↃ CXVII. prodierit. Bulingerus notum famâ & scriptis nomen, quibus de literis & literarum studiosis optime meritus est. liber ea magnitudine, quæ magnam authoris diligentiam, curam, ac laborem promittit. quid quantumq; re ipsa præstiterit, suum cuiq;

esto

esto iudicium. Mihi quod de eo dicam, non grauatè acceſſurum puto qui librum legerit: Nimium videtur laboraſſe, ne mole ſui libri, Patris Exercitationes non æquaret. Nam quæſo, quorſum tam multa verbatim tranſcribit ex Exercitationibus, tam quæ non probat, quàm quæ non improbat, & laudat, vt fatetur ipſe ſæpe? an quia putabat ea non poſſe tam commodè peti ex ipſis fontibus? aut quia de lectoris diligentia diffidebat? Vt taceam crebras ἀσυμβολίας & παλιλογίας tanto viro indignas. Excurſus autem illos crebros & longos ſi tollas, tum illa quæ ad Caſaubonum notat, non contra Caſaubonum (vocat ipſe ſuas ſymbolas) videbis reliqua eſſe per quam pauca. Omnino conſultius feciſſet, ſi operam ſuam alibi ponere & aliud agere maluiſſet vir eruditiſſimus: erat enim à multis rebus neceſſarijs ei qui illam prouinciam obire cum laude vellet, imparatus: ignarum autem linguæ Hebraicæ ad *Rabbinicas*, vt vocant per contumeliã, Exercitationes accedere, auſum nimis temerarium. De animo Bulingeri candido an contra, ferre ſententiam difficillimum eſt: tanta in eius ſcriptis animi & ingenij varietas, aut potius

tius leuitas atque inconſtantia. Quoties Caſaubonum agnoſcit *Eruditiſſimum, Doctiſſimum, [illegible]*, & alijs ornat inuidendis laudibus? Qui legerit hæc, *Doctiſſimè, vt ſoles ſcribis: Eruditè notas, vt ſoles*; qui illa, *feciſti, vt eo dignum erat in quo maximus animi candor, & plurima veterum Patrum lectio eſt*, *Non dubito te ea eſſe modeſtia, Non fuerat tui candoris, Ratione tecum agam, quâ maximè integer pectus vales, Intanta eruditione mens Patrum ignota tibi eſſe non potuit*, hæc inquam & ſimilia alia loca qui legerit, non deſiderabit in Bulingero modeſtiam: atqui hæc comparata ad conuitia & calumnias, quàm leuia, bone DEVS! quam nulla apparebunt? Studium nouitatis, mentis inconſtantiam, oris virulentiam ſæpius obijcit. Illa autem, *Te ſine vllo pietatis ſenſu eſſe & fidem tuam ad gratiam Regis Angliæ quolibet flectere facile demonſtrari poteſt*, &, *Si vera tantum putas quæ vidiſti quæ ex Athenæo & Strabone didiciſti* Et, *Ezekielis de quatuor animalibus viſionem non ad Euangeliſtas, ſed ad Angelos refers, ne cum Beato Hieronymo, Gregorio Magno, aliſque priſcis Ec-*

p. 155.
p. 213.
p. 138.
p. 102.

97. *Ecclesiæ Doctoribus sentire videaris, Consulto ab ijs quæ ad pietatem faciunt, alienum te profiteris*, quam malitiam & malignitatem præferunt? sed neq; est æquior vniuersis quam vni fuit. *Nemo est*, inquit, *apud transfugas, qui gustum vel tenuissimum veræ pietatis habuerit, qui aliquo deuotionis sensu doctus sit.* item, *Calumniæ sunt Ebionæi & Carpocratiani quibus improbatur virginitas, & continentia*, &c. ne sim tædio. Vltimum tamen hoc addam exemplum, nolo dicere cuius virtutis. Pater hæc scripsit de
p. 111. beatâ Virgine, in exercitation. *Fauemus nos quidem toto pectoris affectu gloriæ, τῆς ὑπεραγίας θεοτόκου Virginis: sed fingi mendacia in eius finem, aut fictis habere fidem; hoc vero nos zelo veræ pietatis succensi, ferre non possumus, & in ipsius Mariæ contumeliam*
p. 111. *cedere non dubitamus.* Et in alio loco, *Ministerium illud omne superans admirationem, cui Deus æternus ad æterno ipsam destinarat, virtutem & sanctimoniam desiderabat, quæ omnem comparationem longe superaret.* Est vbi etiam, nisi me fallit memoria, ἀκαιρολογία de illis queritur, qui calumniantur Protestantes, nō pluris aut ne tanti quidem illam facere, quam alias quasuis
p. 87. mulierculas. Bulingerus ad hæc; *Quod parum*

rum honoris ac reuerentiæ Beatæ Dei parentis habere vis, id ſolens more tuo, ac reliquorum à Catholica fide perfugarum, qui vxores ſuas, quam Dei Matrem pluris eſſe volunt. Id ante te Lutherus, id Caluinus & Beza clamitarunt, & cum Antidicomarianitis bellum inexplicabile ſanctiſſimæ Virgini ex profeſſo indixerunt, &c. Placuit hæc prolixius perſequi, vt daremus aliquod ſpecimen eorũ, quæ initio dicebamus. Mirabilis ſane zelus, qui virum eâ rerum peritiâ, & moribus, vti fama eſt, non malis, ad hæc potuit adigere.

Hos ſecutus eſt Andræas Eudæmono-Iohannes, nomine terrori, an riſui, compoſito. Hoc Andræâ nihil poſt homines natos ab omni viſum pudore & modeſtiâ profligatius, pleriq; mihi conceſſerint: qui vitia quæ habet à natura, vanitatem & maledicentiam, cum quodãm artificio ingenij, & orationis gratiâ condire longo iam vſu ſtudioq; ſit peritus, (in quo eius eruditio quanta quanta eſt, tota conſiſtit) bonos allatrandi, eorumq; famam nouis quotidie ſcriptis appetendi, nullum ſibi finem aut modum ſtatuit. Ante annos octo euomuerat pus ſuum atque venenum in Epiſtolam Patris ad Fron. Duc. Pariter nunc

ex-

excepit Exercitationes, libro quò maiori, eo pleniori calumniarum. Ne tamen nihil tam magno libro dixisse videatur, carpit & vellicat aliquot loca, Patres frequentes aduocat, affingit multa per fraudem, atque vt rem in pauca conferam, toto libro aut cauillatur, aut, pari vtrumque vesaniâ, maledicit. Qui legerit vnum eius librum, omnes legerit. Omnia eius similia, paria, gemina. Non quenquam sua dignitas aut eruditio, non probitas & innocentia tutantur ab hâc Furiâ, aut mitiorem saltem ac mansuetiorem faciunt. Non abstinuit suum virus ab Illustrissimo Archiepiscopo Spalatensi, neque aliter cum eo egit, impudentiæ retrimentum, quàm cum aliquo sui simillimo, postremæ vilitatis homuncione. De libro loquor, aut libello potius quem contra Venerabilem illum virum titulo *Admonitionis* &c. paucis his annis edidit. Non possum facere, quin ex illo locum proferam insignem præter cæteros, & lectoris animaduersione dignum: non quidem propter rei nouitatem, quod ibi mentiatur; (solens enim suo more facit) sed quia è mendaciorum infinito numero, dignum

est

eſt hoc cui primæ ſine controuerſiâ deferantur. Sic igitur ille Admonitionis ſuæ Cap. XVIII. pag. 129. *Certe cum in Aduerſariorum libris mendaciorum myriadas detexerimus, in noſtris illi voluminibus hactenus mendacia deprehendere non potuerunt.* Si aliquem colorem quæreret aut latebram ſuis mendacijs Eudæmon, quamuis illa ſint eiuſmodi, vt nullo excuſari queant artificio, nullo fuco obſcurari, fortaſſe tamen crederemus aliquid pudoris in eo reliqui, qui illa in claram lucem proferri nollet, & occultare conaretur. Hæc autem ſimplex & plana negatio (cum de contrario ſciat omnibus conſtare) cumulus eſt audaciæ, vanitatis, impudentiæ. Vt alios omittam, quatuor Angli VV. CC. in detegendis atque refutandis ipſius mendacijs operam poſuerunt. Omnes id fœliciſſimè (neque erat admodum difficile) præſtiterunt, & ſcatere eius libros mendacijs impudentiſſimis luce meridianâ clarius oſtenderunt. Vt de alijs nihil dicam, vnum hoc illius mendacium de morte Arnaldi Caſauboni memoriæ fœlicis aui mei, tribus in libris accuratiſſimè, fu-

Abbas. Prideaux. Collinus. Burrhillus.

R. Abbatis Antil. I. Prideaux Caſ. I. Caſauboni Exerc.

fusissime dilutum repetire est, atq; iugulatum. Hanc ille tam accuratam responsionem quum postea non refellerit, (neque enim poterat) sed ne tentarit quidem, atq; eâ defensione vtatur ad obiectum sibi calumniæ crimen amoliendum, quæ leuissima sit, aut verius nulla; ausus est illam tamen hoc vltimo contra Patrem meum libro tanquam rem certam atque indubitatam non vno loco repetere. En hominem, qui mentiri non solet. Expecto quàm mox dicat aliquis, bis duo non esse quatuor, meridie non lucere, Gasparem Schoppium esse virum probum:

Omnia iam fient, fieri quæ posse negantur,
Et nihil est de quo non sit habenda fides.

Quod autem de defensione diximus, quâ vtitur Eudæmon-Iohannes, an iure dixerimus, tu Lector iudica. Conatur ille calumniæ tam manifestæ inuidiam ad alios trãsferre, seq; illius authorem negat: Clarum enim Bonarscium multo ante parenti meo paternæ mortis infamiam obiecisse in *Honoris Amphitheatro*: quod neque ipsum ignorasse, probare ex eo contendit, quod sit aliquando questus Pater, *Clarum Bonarscium magnâ petulantiâ in se esse inuectum*. His ego de verbis, eane Patris an non,

nion, & quâ ſint occaſione ſcripta, curioſius inquirendum mihi putarem, ſi quicquam ipſa ad rem facerent. Ego vero vltro concedo aduerſario, veriſimile eſſe ea patrem non latuiſſe, ſi quæ ſcripta eius generis à Bonarſcio in ipſum prius euicerit. Quod ego fidenter nego cum multis alijs, qui totum illud Amphitheatrum ſtudioſe perluſtrarunt, & tale nihil in eo deprehendere potuerunt. Non debuerat ſane locum & verba omiſiſſe, ſi quæ bona fide proferret Eudæmon habuiſſet. Porro vt omnem ſcrupulum eximam curioſi lectoris animo, qui librum illum Scribanij nunquam legerit, teſtem dabo veritati ἀξιοπίστατον, Ieſuitæ Ieſuitam opponam, ſed πολλῶν ἀναξίων ἄλλων. Scias autem Lector, me, ſi quid in humanitatis leges peccare tibi videar, quod boni viri epiſtolâ, & quem alias colere me profiteor, ipſo inconſulto publicem, id facere ipſius exemplo, qui priuatas Patris ad ſe, atrociſſimo eius hoſti communicauit, quibus ille in defuncti contumeliam quà poſſet vteretur.

Andr. Schottus Iſ. Caſaubono
ἐν πράγῃ.

Tuas accepi, clariſſ. Caſaubone & in Brit-

tannia hærere velle legi inuitus. mallent doctiomnes ac φιλολωτεροι Polybium illum Gr. historicorum κορυφαιον edulare, vt caperas, pergeres, & promissa pridem ἐχθρα dares, potes enim, ac debes; potius quam te in certamen non necessarium demittas, extraq; chorum saltes, sine fructu, immo damno tuorum scriptorum. Scis quam Iosephi fama detensa, dum senex tangit acerbius a quibus ne verbo quidam læsus esset, Socios nostros, viros omni doctrinæ genere præstantes, Toletos, Bellarminos, Possevinos, Pererios, cæteros. Certe nollem in nuperis tuis illud de libro adiecisses eius, cuius me potestati semel commisi, dictoq; audiens, domi vna versor. qui in ἐμφυλιοις cauit studiose ne Thuanum præsidem amplss. Teque & si nominaret, volens læderet. Optaret potius in Ecclesia te Romana, desertis illis Caluini castris complecti in Domino. Quid enim prodest homini &c. Et absque fide maiorum salus minime speranda, vt extra Petri cymbam naufraganti. Sed hæc tu melius. Quo illi, vt opto, aquiorem te præbeas, mittam ad te, si voles, tres eius Scribanij controuersorum in fide Orthodoxa libros, typis Plantinianis prope euulgatos: placebit ἀμεινονος χαριν lectio & stylus magis

magis delectabit, nisi iudicans fallor. Verba enim dare nollem, quando Belgarum candorem non ignoras. Antuerpiæ Idib. Ianuar.

cIↃ IↃ C. XII.

Quod addit Andræas, eandem fabulam Galli cuiusdam, itemque Scoti nescio cuius sermone, & nonnullorum litteris fuisse sibi confirmatam, id cuiusmodi sit, Lector, vt spero, satis intelligit. Ea demum est tutissima mentiendi ratio, quum metus non est, etiamsi nemo tibi credat, ne falsi possis argui. At saltem nomina suis testibus alicunde quæsiuisset: quo notat Theophrastus vti τῶν λεγόντων artificio vt mendacijs suis fidem concilient: aut sane, vnico Gallo, Scotoque vnico contentus esse non debuit, cum sat esset anonymorum testium, vnde mendacium fieret multo liberalius: cuius profecto Cretensis parcus esse non amat. Sed hanc qualemcunque verecundiam, immani compensat & supra quam dici potest impudenti mendacio, dum ait, *vsque adeo puduisse Casaubonum eius infortunij, vt in ijs libris quos recente etiam tum facti memoria emisit, pro Casaubono se Horti-bonum apellaret.* Nam sane libri, quos Pater emisit post aui mortem,

CASAVBONI nomen prescriptum omnes habent, quum illi quos iunior edidit HORTI-BONI nomine sint inscripti: vt si quid erat ex hac re concludendum, aliud nihil effici potuerit, quam etiam creuisse illi desiderium post sui parentis obitum, vt omnes eum scirent A. CASAVBONI filium.

Non est consilium, Lector, omnia vaniſſimi nebulonis de patre meo mendacia persequi; quum satis de eius mendacitate iam constet, nolo meo otio tuâque simul abuti patientia: vnum tamen ex tanta copiâ liceat addere, quod perditam eius audaciam cũ cæteris arguet, & velut ἐκθαμβοῦντα. Hæc ille scripsit de Patre Respons. ad cap. IV. Prim. Exercit. p. 43. *Henrico Magno superstite eiurandæ Caluinianæ hæresi diem dixerat, eo mortuo accitus in Angliam, é Geneuensi Puritano protestans Parlamentarius factus, sacerdotalem togam, quadratum pileum, superpelliceum induit, visibile in terris Ecclesiæ caput in* I. *Rege coluit, nihilominus culturus in fœminâ si ea coemisset &c.* Deum immortalem! adeon' esse quenquam suæ famæ prodigum, adeon' ab omni, non modo pudore, sed simulatione pudo-

pudoris relictum, vt contra innumeros teſtes, contra lucem omni luce clariorem, animum queat ad mendacium obdurare? Vt friuola illa & inepta tranſeamus de viſibili Eccleſiæ capite, & illa de die dicta eiurandæ hæreſi ſuo loco reſeruemus, vbi accuratiſſimè refellemus, quis vnquam vidit in Anglià Caſaubonũ ſacerdotali togâ indutum, aut omnino quicquam, quod proprium ſacerdotis eſſet, vſurpantem? De pileo quadrato, & ſuperpelliceo, quamuis habeant hic illa Laici communia cum Clericis, eſt tamen æquè falſum: neque enim ijs eſt vſus vnquam Pater. Quæ de teſtatiſſimâ veritate tam impudenter es mentita, *Quid non audebis perſida lingua loqui?*

Hi ſunt omnes qui aliquid in Patrem poſt ipſius obitum ſcripſerunt; hi inquam omnes, quos hactenus videre mihi contigit. Multi ſine dubio, qui obiter, & velut in tranſcurſu eum aggreſsi in ſuis libris, multis calumnijs & cõuitijs inceſſerunt: è quibus neſcio quis tenebrio Sandæus, qui in libro *de fide Remonſ. Hollandorum* aliquot paginis in ipſum impotentiſsimè ἐκ τοῦ ἑξ ἀμάξης debacchatur. Verum nos illos om-

nes omittemus, & eorum maledicta petemus ex ipsis fontibus, è quibus illa tanquam riuuli profluxeruut, & fusè Deo propitio confutabimus. Omnes autem illorum criminationes possunt ad hæc tria capita referri. 1 Fidem siue pietatem in Deum. 2 Mores. 3 Doctrinam. Agamus igitur ordine de his singulis, & quæ illi obijciant audiamus.

M. CA-

M. CASAVBONI IS. F. PIETAS.

PARS II.

De Fide & religione ISAACI CASAVBONI.

POstquam ſemel ſedet aduerſarijs cauſam ſuam fraudibus, & mendacijs, ſi res ita ferat, contra viros doctos tueri potius quàm herbam, quod aiunt, porrigere, aut tacere: proximum eſt, vt quàm cautiſſime fieri poſſit, dolos ſuos ſtruant ad rei ſucceſſum. Nam, vt ait Lucianus, ὁ μὲ τοι μικρὸν ὑπὲρ αὐτῶν ἐστὶ τῦτο (τὸ διαβάλλειν) ὡς ἅπᾶς ὑποπίπτει. ἀλλὰ ὁ πλῆς μὲ τέχνης ἐκπλήγης δ' αἰσχύνης, ἀκριβῶς ϗ πρὸ ἐπιμελείας διήμαρτεν. Neque enim de omnibus omnia æquè pulchrè finguntur, aut apud omnes fidem pariter inuenirent. Quid autem calumniando proficiunt, εἰ μὴ διαβολὴ πίστεως τινα τρόπον ἐγίνετο, vt idem ait, niſi *ad præſcriptum famæ & opinionis* conflata ſit, vt Apuleius loquitur? Noti ſolà fama viri vita poteſt traduci, & cuius in obſcuro no-

men, quantauis eruditio calumnijs opportuna eſt. Alicuius innocentiam fabulis ac figmentis attentate apud eos, quorum verſatur in oculis, aut de ſpectatiſſimâ eruditione velle rumoribus detrahere, eorum eſt, quorum peſſimæ voluntati non par reſpondet artificium. Qui igitur verentur ne magnorum virorum authoritas, ac popularis exiſtimatio vim ac pondus habeant apud multos ad perſuadendum, & ad exemplum ſuum trahendum, callidè repererunt qui ea vti in contrarium, aduerſarios ſcilicet ſuis ipſorum armis oppugnare, ſeque ijs munire poſſent. Cum igitur vniuſcuiuſq; ſenſa, atque intimi animi receſſus non vulgo pateant, ſitq; diſſimulatio res hodie vſitatiſſima, hinc illis viſum eſt petere calumniarum ſuarum ac fabularum occaſionem & materiam. Eſt igitur è noſtris aliquis magni vir nominis, & cuius iudicio multum plerique tribuuntur videantur? Huius authoritatem ſi nequeant eleuare, id agunt, vt quicquid ille præ ſe tulerit, eum tamen ſecum ſenſiſſe vulgò perſuadeant. Hinc tot commentitij ac fabuloſi obitus, tot repentinæ mentium, atque opinionum mutationes con-

confictæ, tot viri graues ac pij ſimulationis atque inconſtantiæ poſtulati. In re notâ non teram tempus exemplorum copiâ: vnicum adducam, quod loco tam opportuno, non poſſum ſaluâ pietate præterire. Adolphus Meetkerkus vir Nobiliſ. & Doctiſ. cum fatis ita volentibus Belgium mutaſſet Anglia, obijt Londini Anno ↀ ↀ XCI. conſtantiſſima Fidei ante agnitæ profeſſione, & pietatis laudabili exemplo. Vir doctiſſimus, qui compoſuit Elogia Belgica, non veritus eſt ſcribere, *Eum morientem ſcriptis eſſe teſtatum, veram Religionem non eſſe extra Cathol. Eccleſiam Romanam*, quod amici qui decumbenti frequentes adfuerunt, & ipſe τῷ μαρτύρι filius Edwardus Meetkerkus Regius in hac Academia Profeſſor linguæ Hebraicæ (vir in ſummâ doctrinâ modeſtiæ non minoris, & cuius diſciplinæ alumnum me fuiſſe, valebit ſemper mihi ad integritatis teſtimonium apud eos, qui eum norunt) qui ſeruat fideliter vltimâ ipſius voluntatem, ſciunt & teſtantur eſſe falſiſſimum. Simile eſt, quod mox addit, *filiam peſtilentem inſulam reliquiſſe*, quæ in eam nunquam pedem intulerit. Laudat quidem ſuum autorem

rem V.C. fortaſſe potuit & ille ſuum: originem tamen habuit fabula ab eà, quam dixi cauſſà. Caſaubonus igitur, qui magis erat notus in patria, quàm vt famam eius & exiſtimationẽ lædere quiſquam poſſet, aut imminuere: quod facilius eſſe iudicabant, qui erat profeſſione Eccleſiæ Reformatæ, factus eſt ab aduerſarijs animo Pontificius. Mirabar cum eſſem in Gallia abhinc triennium, creberrimos hominum ſermones; Caſaubonum fuiſſe Catholicum, Caſ. R. Eccleſiæ dogmata amplexantem diem ſuum obijſſe, Multos me ſæpe hortari à Patris fide ne diſcederem. Monſtro ſimile eſt quod audiui ipſe à nonnullis, morte eum violentà ſublatum, ne poſſet ſuam fidem publicè hic in Angliâ profiteri. Certè quendam his fabulis eo tempore ex ambone populũ pauiſſe, ipſi mihi Pontificij, qui adfuerant, pro certo retulerunt. Immo vero auſus eſt nuperus quidam ſcriptor Hiſtoriæ ſacrum pudorem vaniſſimo cõmento proſtituere, cuius hæc ſunt verba:

Eſtat general des affaires de France; imprimé a Paris, l'an 1617. p. 854

Il eſt tres aſſeure que Beze fit tout ce qu'il peut pour mourir Catholique. Il eſt tres aſſeure que Caſaubon en Engleterre eut faict, ce qu'il auoit promis cent & cent fois a ce

grand

grand Cardinal, ſi on l'eut laiſſé faire. Compertiſſimum eſt Bezam Geneuæ omnem mouiſſe lapidem vt Catholicus poſſet mori. Compertiſſimum Caſaubonum in Angliâ facturum fuiſſe ſi licuiſſet, quod toties magno illi Cardinali receperat. Fieri poteſt vt miraturi ſint aliqui, tantum contrà veritatem mendacia rumoreſq; valuiſſe: ſed periti rerum, atque hodierni moris ſcientes non mirabuntur. Quid vero mirum tantum potuiſſe rumores poſt ipſius obitum, quos ipſe viuens verbis, ſcriptis, comprimere, tot annorum ſpatio non potuit? Non enim primũ poſt mortem ipſius, aut tranſitum in Angliam ceperunt illi ſpargi: tunc reuerà ceperunt, cum inter tot diuerſarum partium homines verſari, cum de Religione diſputare cepit cum amicis, ipſis cogentibus, illo fruſtra reluctante: hoc eſt, ſtatim poſt aduentum Lutetiam. Vtinam haberem omnes literas, quas toto tempore ſuæ commorationis in illa vrbe dedit ad amicos: poſſem hoc per ſingulos annos probare, ſimul & cauſas cæteraque eo pertinentia Lectori ob oculos ponere. Sed ex illis quas habeo vtcumq; potero eruere veritatem. Anno Dom. ɔɔ Iɔ C. habita

bita eſt nobilis illa tum perſonarum claritate, tum cauſæ magnitudine Diſſertatio, inter Mornæum Plæſſei dominum, & Epiſcopum Ebroicenſem. Non multo poſt Canaius à Fraxinis, Vir quondam magnæ dignitatis & exiſtimationis in Eccleſiâ Reformatæ Rel. in Gallia, quicum arctiſſima amicitiæ coniunctio Patri intercedebat, περὶ τὴν αἵρεσιν ἐναυάγησε. Tunc admodum dubij fuerunt de Patris animo ac ſententia in cauſſâ Religionis ſermones; his ſtudio falſa ſpargentibus, illis de aliorum ingenio ingenium ipſius ſpectantibus, quaſi neceſſe eſſet Patrem ſequi eius exemplum hac in re, cui & intima familiaritate erat amiciſſimus, & magnis beneficijs obligatus. Cum ſiniſtris his ſuſpicionibus multi offenderentur, & cum primis Pater ipſe, vt omnem in poſterum illarum occaſionem præcideret, animumque ſuum omnibus patefaceret, ſcripſit ea de re ad Synodum Gergeouiæ per id temporis habitam. Doleo me non poſſe ipſarum litterarum hic exemplum dare: ſupplebit tamen hunc defectum locus è Petro Matthæo præſtantiſſimo huius ætatis Hiſtorigrapho. *On tenoit*

auſſi

auſſi que Caſaubon l'vn des Commiſſaires, ſuiuroit le meſme chemin comme on dit, que la Perche ſuit le Negroel. Il ne laiſſa pas long temps le monde en ceſte opinion, ayent eſcrit aux Synode des Miniſtres aſſembles a Gergeau, qu'il n'eſtoit pas ſi malheureuſement inſtruict en piete, qu'a faulte de cognoiſtre la verite il ſe laiſſat emporter a chacun vent de doctrine. Comme le Synode s'eſiouit de la conſtance de Caſaubon, auſſi il ſe miſt en cholere contre la Metamorphoſe de Canaye, & reſpondit a la lettre du premier, &c. Credebatur etiam Caſaubonus, qui erat ex arbitris, exemplum Canayi ſecuturus, vt ἐπὶ τὸν πίρνα τῷ μαλαπίρῳ. Hanc ille ſuſpicionem animis hominum diu inſidere non eſt paſſus, datis literis ad Synodum Miniſtrorum tum temporis Gergeouiæ congregatorum, quibus ſignificabat ſe non tam miſeros in pietate progreſſus feciſſe, vt propter veri ignorantiam, ſineret ſe περιφέρεσθαι παντὶ ἀνέμῳ τῆς διδασκαλίας. Synodus vt lætata Caſauboni conſtantia, ita indignata eſt ob Canayi Metamorphoſin, reſpondítq; illius Epiſtolæ, &c. Vtraſq; ait typis mandatas idem ſcriptor, ſed Gallicè, ab imperito interprete verſas.

Tom. 2. f. 3. p. 561.

Epheſ. 4. 14

De

De hac Epistola loquitur Pater in literis ad Gasparem Laurentium, Anni 1601.

Is. CASAVBONVS GASPARI LAVRENTIO viro doctissimo.

Quantum mihi voluptatis tua litera attulerint, amicissime Laurenti non aggrediar verbis tibi significare: neq. enim si vel maximè vellem, possem tamen. Dicam verò quod res est. Cum enim ærumnas prope intolerabiles veteris amici [illegible] tam insignis nobis attulerit: par prope gaudium ex eo percepimus, quod data esset facultas declarandi animi mei, & constantiæ in purioris religionis professione. Etenim cum tantopere viderem laborantes τὰ ἐξ ἀνατολῆς, vt falsos de nobis rumores tota Europa (vide hominum stultitiam & vanitatem vide) disseminarent: non erat committendum vt plus illis fuisse animi in tuitione falsarum opinionum, quàm nobis in confessione verissimæ veritatis, posset cuiquam videri. Miram sane hominum (si homines sunt appellandi monstra ex mendacijs conflata) impudentiam! Quid enim fuit, vnde hoc sibi de nobis persuaderent? Proferant dictum, aut factum meum, & culpæ illos absoluam.

Canayus autem, postquam priorem ipse

ipſe fidem abiurauerat, nihil intactum reliquit, quò intimum ſuum ad ſe traheret; & cum abſens ea de re ſæpe cum eo per litteras ageret, cuidam eius Epiſtolæ ſic Pater reſpondit.

Accipe igitur, Ampliſſime Domine, non reſponſionem ad illam tuam accuratiſſimè ſcriptam Epiſtolam: neq; enim patitur τὸ ὀξὺ τῆς κεφῆς: ſed fidum planeq; certum obſeruantiæ pignus ab eo profectum qui cum in omni officij genere candorem, ſimplicitatemque ſuam ac conſtantiam tibi cupit eſſe probatam: tum in eo maximè negotio, quo de tanta accuratione à te nuper eſt actum. Noli verò, per immortalem Deum te obteſtor, hanc moribus meis notam inurere, vt alterplicum hominum more aliud me corde ſentire, aliud fronte promptum gerere exiſtimes. non facio, non feci vnquam, neque vnquam ſum facturus. Seruet modo Deus OPT. MAX. quam indidit naſcentiæ animo παῤῥησίαν. Cuius ego vel præcipuum teſtem fuéram te laudaturus, ſi fors tuliſſet, vt alieno teſtimonio τὸ τοῦ ἰδιώτου γνώμης ἐλεύθερον haberem probandum. Putaui ego ſtultus, perſuaſiſſimum tibi eſſe ex veteris amicitiæ, qua me dignatus es, longo vſu,

tuum

tuum Casaubonum ceteras quidem laudes, quas fortasse quorundam comitas illi adscribat, vt alienas aspernari, & facere non tanti : caterum id vnum summopere semper contendisse, vt vinus, nec vinus, veteris poetæ dictum tolleret, τῶν ἐν ἀλαθείᾳ πεπλασμένων ἐκ θεῶν ἄρτος. At tu magne Vir, διαίρεσιν illis me adnumeras, quos pater ingeniorum ἡμᾶς αἰεὶ ὁ πλοῦτος bonis ait exosos. Scribis enim, satis te acceptum habere, nos in re omnium grauissima, ὅτιοῦν μὴ κακόδοξον ἐπὶ σφισὶν ἄλλο ἢ βέλτιστ. Mene? διαμαρτύρομαι πολὺν ἄνδις τὸν καρδιογνώστην θεὸν, non scire me vnde ista tibi de nobis nata sit opinio. Conuenio memoriam meam : ab illa omnes sermones exigo & garritus nostros : nihil inuenio nisi forte iustissimas querelas in tuum sinum liberius olim effusas de certorum hominum sinisteritate, & in bona caussa animo, vt videbatur, non bono. Si alia sit mens nobis, cur dissimulem ? cum presertim quod me hic teneat, nihil quicquam eorum inueniam, quæ in rebus expetendis solent spectari, præter caussæ iustitiam. Quid ? tu me adeò insanum iudicas, vt contra mea commoda & meorum, qui vita mea mihi chariores sunt, animum in dissimulatione obdurem ? ô me vacui capitis,

tis, & iudicij, si ita est, planè nullius! Sed & odio dignissimus sim tot procerum & summorum virorum, qui pro sua in nos benevolentia & in literas amore tantopere tam sæpe idem quod tu à nobis exegerunt. Omitto illius diuini capitis [illegible], *in cuius vnius secundum Deum potestate, ac nutu, omnes spes, opes, fortuna, vita ipsa nostra est posita. Huic ego tam benigno, tam clementi heromeo, sine vlla exceptione morem possem gerere, ipsa, mihi crede, vita mea, vellem redemptum. Sed scit ipse quid me impediat; & pro sua æquitate, facilè ignoscit. Tu quoque, amplissime Domine, idem facias velim: tibiq; persuadeas, neq; in hoc negotio, neq; in tui cultu, & obseruantia, aliud vnquam mihi linguam esse professuram, quam quod* [illegible].

Quid aliud ageret, quam aliam viam iniret, qui has suspiciones ferret ægerrimè? Sed ne sic quidem multum profecit: quod ipsum cum mirum in modum angeret, omni ratione mendacio obuiam ire constanter perstitit. Hunc in finem varias ad amicos scripsit, è quibus vna quam forte animo commotior scripserat, cum in manus Canayi perueniisset, multum ei molestiæ, aut etiam periculi creatura videba-

tur, absq; Regis fuisset bonitate, ac mansuetudine. Anno Dom. ɔlɔ Iɔ CIV. quum nescio quid colloquij, & disputationis illi fuisset ex occasione cum Cardinale Perronio, multo magis disseminari ac dissipari cæperunt ijdem rumores, quàm antea. Sed neque tunc sibi Pater, aut Veritati defuit, scriptâ hac ad Cardinalem Episto la, quæ per id tempus est non semel excusa.

ISAACI CASAVBONI *ad Cardinalem* PERRONIVM *Epistola.*

Libros remitto tibi, Illustrissime Cardinalis, quos nudiustertius commodasti: eoq; nomine gratias ago gratissimas. Optarem eo cimelio diutius frui posse: neque dubitarem ξυν θεῷ οἰωνῶν, fore non inutilem Reip. literariæ, quam ibi ponerem, operam. Nunc pauculis horis, idq; raptim inter negotiorum strepitus, ex Arabica Epistolarum D. Pauli interpretatione quædam descripsi: nonnulla item cum editis Romæ Arabicis Euangelijs contuli. Ægyptiacæ vero linguæ miram observamus rationem: sic enim è Græca & vetere Ægyptiorum est conflata, vt puris putis vocabulis Græcis multa sint mixta, quæ neque ἀλλοιωμὸν sapiunt, neque vllam omnino earum linguarum, quæ sunt ab Hebræa deriuatæ. Omnes Græcorum characteres in ea

ea deprehẽdimus, & alios insuper quàmplurimos: vt necesse sit illius linguæ τὸ εὐτυχὲς esse oppidò multa. Equidem ædes Crassi aut Licini campos non mercam, vt tantum Thesaurum non tractarem, quamuis modico tempore. Sed tuum istud beneficium Illustrissime Cardinalis, prope nobis reddunt inuisum musculi à tuis, vt audio, & alijs nonnullis dissipati. Viderint illi qui tale nihil cogitantem, & studia longe diuersissima omni contentione animi vrgentem, φιλίας ἀφορμὰς interpellârunt, quàm sit professioni ipsorum ea iactatio, & κομπασμὸς conueniens. Ego, qui vigilias omnes meas amori veritatis in quocunq; genere literarum semper impendi, non λογομαχίαις ἁρὰ ἐριδάκτοις comparatis, re iam experior quod apud grauissimum virum Gregorium Naz. sæpe legeram: vix ac ne vix quidem huiusmodi σπουδασμῶν vllum vnquam extitisse fructum. Mihi persuasissimum est, eam demum esse pietatem Christianam, quæ ἀπλανῆτα ἀνθρώπων insuper habens, ἀμεταθέτοις doctrinæ adhæret diuinâ scripturâ contenta. Hæc vna est quæ doctrinæ regulam figit, vt alicubi ait Augustinus; & illa Ecclesia vera, quæ non est egressa de finibus suis, id est de scripturis sanctis, vt ait disertè Hieronymus. Porro autem

ὁ βεβαιῶν ἡμᾶς Spiritus Sancti efficaciâ, docente Paulo, Deus est ipse. Quæ enim adversus hanc τὸ Θεῦ πνεύματος disputari audiui, nuce cassa viliora iudico, quoties vel ad diuina promissa, vel ad fidem antiquam oculos mentis refero. Hanc nostram πληροφορίαν si quis est qui labefactare cupiat, age, quod sæpe nuper dixi, rationes suas scripto complectatur: nos, freti virtute Dei, parati sumus ostendere, frustra antiquitatem ab illis iactari, qui sacræ Scripturæ miris modis, vt quidem videtur nobis, detrahentes, vetustatis authoritatem pro ratione obtendunt. Nuper, nō sponte quidem mea, quod tute scis, neq; enim ea fine veneram, sed impulsu tuo quædam proposui ἀορίστως γράμματος χάριν qua viderentur esse τῶ παλαιῶ κηρύγματος. Idem nunc quoque affirmo: & doctrinam de sacra Eucharistia vestram cum aurea veterū simplicitate pugnare, non disputandi gratia, quod semper sum auersatus, sed quia sic credo, μᾶλλον αὖ ἢ πάλιν cōfirmo. B. Augustini, & Theodoreti loca, quæ mihi nuper in mentem fortè venerant, & de quibus singulari subtilitate multa sunt à te disputata, vt amplius de ijs cogitandum priorum morū candore dicerem, non temerè, neq; contra auctorū mentem à nostris laudari, eorū rationibus æqua lance expensis parebit.

bit. Iam de imaginibus, & hodierno earum cultu, quid in me nuper receperim, quantumuis obſtrepentibus cunctis, ſcio, meminiſti: non recuſare me, quin ex hiſtoria Eccleſiæ luce meridiana probarem clarius, prodigio videri poſſe ſimile, quod quidam patrocinio veterum Orthodoxorũ illas tueri ſuſtinent. Dei hominumq́; fidem! hoccine eſt veritatem propugnare, an quod philoſophi aiunt λογῳ τῷ ἀνθρῳ; Nam quæ ineam rem nuper afferebantur, ſolerter eſſe excogitata non negamus: cum Dei verbo, & quod toties aſſertum eſt, cum antiquæ Eccleſiæ vſu conuenire, hoc vero præciſe negamus: quod non eapropter dicimus vt tuum à nobis animum alienemus: magni enim facimus, pro eo ac debemus, amorem tuum: ſed vt veriſſimum eſſe cognoſcas quod ſæpe διαλυεμῳ, vnicam eſſe flectendi nos atq́; alio traducendi rationẽ, ſi Eccleſiæ, cui ſum innutritus, doctrina ἀλογῳ Dei verbo & primæuæ Eccleſiæ conſenſui, ac capita fidei quod attinet, probetur eſſe contraria. de quo cum nullum vnquam dubium animum mihi inceſſerit: cumq́; ad alia omnia præcluſas aureis nos habere cunctis qui me non ignorant, confidã eſſe notiſſimum: quid eſt, quod in eam ſpem quenquam mortalium adduxerit, quaſi abduci ab

accepta fide possemus? Illud equidem assiduis à Deo OPT. MAX. precibus postulo, flagitoq;, vt mentis meæ tenebras velit non ἀνδροφανεῖ luce illustrari, sed vera: hoc est, illa quam in verbo ipsius lucere tota vetus Ecclesia vna voce pronuntiat. eò siquis ducem mihi se profiteri gestiat, maximam, testor τὸν παράκλητον Deum, iniuerit à me gratiam: præeat modo rectè, & itineri illi insistat, quod sanctos Patres, quorum nomina vereor, esse ingressos, triuisseq; certissimum apud me est. cæterum, si quis me nonnullorum hominũ similem arbitratur ὧν νῦν ἀχρεῖος, καὶ ἀβίωτος καθέστηκα, neq; ille me nouit, & ego eius amicitiam, liberè loquar, nihil moror. Quid multa? nemo opinor est, quin sciat quæ studia profiteamur, quarumue literarum notitia Regi Christianissimo innotuerimus. De his qui voluerit cumq; mecum agere, gratissimus semper fuerit. nam neque ad discendum vllam ducimus ætatem seram, & ad docendum nulla potest, cuiquam propensior esse voluntas, quam mihi. Sed moror te. Vnum illud adiiciam, teq; per eam beneuolentiam quam vltro (quæ est tua humanitas) & detulisti & præstitisti mihi, obtestabor, vt scriptionem hanc æqui bonique consulas. Ego Dominum Iesum toto pectoris affectu

fectu veneror, vt quas in te collocauit ingenij dotes excellentissimas, eas ad conciliandam Ecclesiæ ipsius pacem constanter referas. Vale, Illustrissime Cardinalis, & me, quod facis, ama. Lutetiæ Parisiorum a. d. III. Id. Oct. M. DC. IV.

Plura possent huius generis hic proferri, nisi multa adhuc mihi deessent, quæ ad gerendam hãc cum industriæ laude, quam suscepi, prouinciam, magno mihi essent vsui, & adiumento. Potest tamen ex his quæ adduximus iudicare Lector intelligens, quanta sit prudentiæ, famæ, ac rumoribus fidem statim non adhibere, sed assensum ad accuratum & fidele examen sustinere. Si enim is, qui nihil non molitus est, vt hos de se rumores, & sermones extingueret, extinguere tamen non potuit, quid fiet bonis quibusdam hominibus, qui freti suâ conscientiâ, quid populus dicat, parum, aut nihil omnino putant ad se pertinere? Si talia de viuis, & presentibus finguntur, quid, quæso non audebunt de mortuis? Anno Dom. ɔIↃ IↃ CVII. scripto libro (de quo erit infra plura dicendi locus) contra Papam, & eius assecias, satis ostendit quanti faceret illorum gratiam, aut quam adhuc se facilem illis, & flexibi-

lem præbuiſſet, qui pietatem illius tot iam annos, tam cupidè tentabant. Annò ↀ IↃ CIX renouata cum Cardinale Perronio certamina, quæ & alia prioribus, & multo fuerunt diuturniora: ante enim non ceſſárunt (niſi per interualla quædã) quam Galliam ipſam reliquit Pater, in Angliam proficiſcens. Inuitiſſimus ſane, vt iam ante monuimus, accedebat ad iſtiuſmodi contentiones, à quibus & voluntas & genius abhorrebant. Effugiendi tamen nulla plane erat via: tunc maximè, quum ad aliorum importunitatem Regis acceſſit authoritas, qui (ab alijs ipſe ſtimulatus) Cardinali Perronio negotium dederat, vt eum ad ſua caſtra traduceret. Quæ autem Cardinalis inſtantia, quæ Patris conſtantia fuerit eo tempore, patebit ex hàc Epiſtolà.

ISAACVS CASAVBONVS RICHARDO THOMSONI *ſuo*, *S. D.*

Gauiſus ſum non diſplicuiſſe tibi Polybium noſtrum, quamquam ſcio quid interſit amorem inter, & iudicium. Vbi ſeriò legeris quæ ſunt à nobis profecta, inuenies, ſcio, quæ reprehendas multa & grauia. Sed memineris in ea vrbe illa me ſcri-

ſcripſiſſe, vbi alia omnia mihi curanda potiùs ſunt quam ſtudia. Scit hoc Tomkys noſter, qui aliquot iam menſes apud nos agit: Ille in patriam reuerſus tibi narrabit, quibus machinis, quam aſſiduâ operâ, quàm varijs artibus mecum ab ijs agatur, qui traducere me ad alia caſtra conantur. Feci & facio quotidie omnia, vt me ſemel liberem, ſcit hoc quoq; ille idem amicus noſter, ſed fruſtrà. Itaq; velim nolim Theologiæ ſtudijs cogor ἐνδιατρίβειν: quid proficiam ſcirent ἐκ ἐναντίας, ſi liberum mihi eſſet ſcripto perſequi cogitationes meas. Nunc, quod vnum ſupereſt, id facio aſſiduè, vt quantum τὸ ἀπὸ ἀνθρώπων ἐνδόξασμα, μᾶλλον δὲ τὸ ἀπὸ τῆς ἀπωλείας auerſer atque abominer, palam & altâ voce quotidie in os declarem. Quid mihi ex ea re ſit metuendum ſatis intelligo, & fungus ſim ſi non videam. Sed nos dudum & nos & noſtra omnia Deo Opt. Max. permiſimus. Ille, ſpero, ἐν καιρῷ τοῖς πράγμασιν aderit, & aduerſus πάντα τὰ δεινὰ nos firmabit. De Polybij Commentario ſi quæris, ille verò iacet, & æternùm iacebit dum mihi cum purputato viro maximo aſſiduæ de religione contentiones erunt. Is eſt, qui omnibus in hoc regno literatis, ac nominatim

natim τῆς ἀμφὶ τὴν βιβλιοθήκην τῦ βασιλέως præeſt. Non puto maius extare hodie ingenium. Cum hoc viro aſſiduè verſans propter munus meum, aſſiduè dimico. ἀλλ' ἴδοι γένηται ταυτὰ ἐκ ἄνδρὸς κολεύσεως τῦ ἀγαμέμνονος. Quarè poſt abſolutam verſionem Polybij, illa ſtudia ne ſalutaui quidem σφόδρα, & omnino peſſimo loco res ſtudiorum noſtrorum ſunt poſitæ. Deus nos reſpiciat. συνχωρήσατε γὰρ κ σφόδρα λίαν. Vale. Lutetiæ Pariſiorum, V. Kal. Ian. quas Kalendas opto tibi fœliciſſimas. CIↃ IↃ CX.

Verùm tam crebra ac pene quotidiana de Religione colloquia, quos ſermones peperierint, quæ monſtra fabularum, non difficilis eſt coniectura. Quin Pater tunc quoque ſe illis pro virili ſuâ parte oppoſuerit, haud eſt dubitandum; vtinam tamen haberem illas, quas toto illo tempore ſcripſit epiſtolas. Facilè paterer meam hic à nonnullis reprehendi περιεργίαν, dummodo diligentiam nemo deſideraret. Vnam habeo quam apponam, ſcriptam ad V. C. Danielem Tilenum: eius hoc eſt exemplar.

ISAA-

ISAACVS CASAVBONVS DANIELI TILENO, V. CL. S. D.

Epistolæ tuæ plurium paginarum, quæ tua est facundia ac δεινότης, præstantissime Tilene, paucis verbis respondebo. Scito igitur eos qui tibi narrarunt me vel metu famis, sic enim ais, vel ex indignatione aduersus N. N. animum in causa Religionis mutasse, rem falsissimam & à moribus meis alienissimam, tibi retulisse. Verum quidem est id sedulo egisse N. N. vt ego & omnes mei quantum in ipsis foret omnibus nostris fortunis euersi δουλὴ ἢ πεζὴ λήϊν experiemur: nihil enim boni illi viri fecerunt reliqui, quo mihi meisq; modis omnibus nocerent: mihi qui ἐνὶ παλαιστῇ ἢ ἀγρῷ parentis loco semper illos colueram. Sed propterea capisse me de religione quam N. N. profitentur deterius sentire, aut loqui, hoc verò falsum est, commentitium est, diabolicum est. quod si libertate dicti pateris, te miror Clariss. Tilene potuisse adduci, vt eiusmodi aliquid fineres tibi persuaderi. non enim video, quo illa pertineant quæ in eam rem scripsisti mihi, nisi vt nutantem ex illa causa confirmares. Laudo quod rumusculos illos non plane contempseris: & quod amici officio sis functus habeo & ago gratiam: sed potuitne fieri vt ipse crederes id

genus

genus argumenta, vel tantillum apud me habere ponderis? Egone alicuius inopiæ metu commouear, qui didici à puero τῇ Θεῷ προσκρούειν? qui opes, honores, & quicquid vulgus miratur, tanti vnquam feci, vt eorũ cauſſã vel manũ vertere dignarer? qui fortunam auream toties in meos lares irrumpere conantem & tantum non fores effringentem, fortiter & irretortis oculis (veni Deo ſit laus & gloria) ſemper expulerim? Sciunt hoc amici mei omnes quibus vtor familiarius, ſcit in primis ὁ καρδιογνώστης Deus.

His ita declaratis, vnde ortum habuerint qualeſcunq; calumniæ de Patris fide, ſiue illæ priores eius obitu, ſiue poſteriores, cuiquam obſcurum eſſe non poteſt: vt mirari iã, neq; moueri illis nemo debeat. Vnus omnium illas diligentiſſimè collegit Heribertus Roſwedus, primuſq; pro veris certiſque auſus eſt obtrudere: quapropter ſingula illius excutiemus. Roſwedus, *An excidit tibi, Caſaubone, quàm ſæpe de fidei rebus controuerſis cum Illuſtriſſimo Card. Perronio egeris, vt grauiſſimis eius conuictus diſputationibus, fidem dederis fore vt proximis feriis Pentecoſtes, Anno M. D C. X. hæreſim eiurares? ſed execrandum Regis Chriſtianiſſ. parricidium conſilia tua in-*

interuertit. Cum enim Caluiniſtæ ſibi fingerent Bartholomæanas quotidie imminere Matutinas, & te ad Romanam fidem jam propenſiorem viderent, authores fuere vt inuitantem te Angliæ Regem inuiſeres. Cui probas? Roſwede. Quid eſt, quod minus veriſimile proferre potuiſti? Caſaubonus, qui viuo Henrico IIII. Rege optimo, quum libertate conſcientiæ & profeſſionis in cauſſa religionis ſecure poſſet frui ad Pontificios erat tranſiturus, idem poſt Regis obitum, cum Caluiniani extrema quæq; metuerent, ſententiam mutauit, & Caluinianus eſſe maluit. Nam quod addis de itinere Anglicano, ea de cauſſa aut ijs authoribus ſuſceptum eſſe, falſiſſimum eſt; & eſt quoq; ridiculum: nam ſi Caluinianorum quos vocas, conſilijs, quæ omnem tollebant ejurandæ fidei facultatem tam facile obtemperauit, certe Caluinianorũ, quod ais, fidem ejurare non decreuerat. Pater autem iam menſem, & amplius ante Regis cædem profectionem hanc habuerat in animo; ſed metu illius offendendi, & ob alia quædam coactus fuerat à conſilio deſiſtere: Poſtea de illa prius non cogitauit, quam literas ab Illuſtriſſ. Archiepiſcopo Cantuarienſi accepiſſet, quæ de

Regis

Regis Sereniſſimi voluntate certiorem faciebant. Accepit autem illas literas XIII. Kal. Auguſti. Non potuit igitur ſuſcepta profectio conſilium Apoſtaſiæ interuertere, promiſſæ die Pentecoſtes, qui erat III. Kal. Iunij. Quod annectis, *Et vt facilius à Regina Chriſtianiſſima miſſionem impetrarcs præ te tuliſti authorem te Regi futurum, vt ad mitiora in Catholicos conſilia, ad religionem minus ſeueram inclinaret*, & illa quæ ſunt in Epiſtola ad Lectorem præfixâ Replicationi Cardinalis Perronij, Caſaubonum ſcilicet miſſionem impetraſſe, quia præſens doctrinam Pontificiam Sereniſſimi Regis animo inſinuaturum ſe promittebat, hæc inquam ſunt ἀίσθησις τοῦ πατρὸς κλήματος. Potuit quidem Pater amico Frontoni, & alijs rogantibus, vt de egregio ſuo in Regem animo per eum Majeſtas ipſius intelligeret, ſpondere munus interpretis; potuit Cardinali Perronio omnem ſuam opem, atque induſtriam ad Pacis & Concordiæ rationes vel vltro polliceri: aliquid vltra in ſe recepiſſe, aut eâ conditione miſſionem impetraſſe commentitium eſt. Non hic illa repetam, quæ Pater ipſe reſpondit ijs, qui hoc eum nomine, dum adhuc in viuis eſſet, perfidiæ

ἀσεβείας accusabant. Puduisset homines verecundos tantò ante, tam clarè confutata tantâ confidentiâ reponere. Scio tamen in Galliâ ita jactari, & me sæpe audiuisse, Patrem ad hoc vnum venisse in Angliam, vt reconciliandæ Ecclesiæ Anglicanæ cum Romana incumberet: quod etiam quidam non obscuri nominis Apostata Anglus, in quadam ad ipsum Regem Epistola asseuerabat. Quare vt quis in ea re fuerit Patris animus, quæ sententia clariùs appareat, dabo illius Epistolam de hoc argumento ad Beniaminum Carierū.

Is. Casavbonvs Beniamino Cariero Doctori S. Th. S. D.

Magno cum gaudio tuas accepi, quæ mihi fuerunt heri reddita. Quæsieram sæpè de te, & communes amicos interrogaueram: sed certi nihil ad hanc diem discere potueram; tantum narrauerat mihi Reuerendissimus Elienſis, ad aquas Spadanas te esse profectum, & ibi, aut in itinere morbo correptum hæsisse. Ago gratias Deo immortali, quod de te ex tuis non solum certiora, sed etiam meliora cognoui. Opto celerem tibi reditum, & faustum. Legi accuratè scriptum, quod misisti, quodq; vt Regi ostenda-

dam à me petis. Ego verò, vir doctiſſime, voluntatis tuæ hac in parte morem non geram. Conſtat enim mihi liquidò & certò, eam ſcriptionem magno tuo damno ceſſuram, ſi in Regis manus illa peruenireț. Optat quidem Rex Sereniſſimus pacem Eccleſiæ, & concordiam inter diſſidentes partes magno redimeret. Sed nullis vnquam conditionibus eius Majeſtas adducetur, vt ſocietatem cum ea Eccleſia ineat, quæ tot horrendis depranationibus deformata ſibi plaudit, & dicit, Formoſa ſum, neq. eſt in me ruga. Cogita verò, vir præſtantiſsime, quid hodie Romæ agatur, niſi vt per omne fraudum, ſcelerum, parricidiorumq, genus, illa infanda Omnipotentia Papalis aſtruatur. Quò ſpectant libri ad defenſionem Garneti Romæ ſcripti, & editi? quò illi, quos Pariſienſis Senatus cremauit manu carnifeis? Quot impietates ſceleſtus ille Bellarminus defendit contra Regem, & in ſuis alijs ſcriptis omnibus? Hæc tibi nota ſint neceſſe eſt. Grauiſsimè tu quidem diſputas de erroribus eorum, quos Puritanos vocant. Sed non videtur ea eſſe ratio adducendi Papam ad æquas conditiones, cùm noſtra crudeliſsimo Tyranno mala aperimus. Ridet Phalaris, ridet, & omnia noſtra breui ruitura ſibi polli-

pollicetur. Ego ex ijs, quæ legi in illorum scriptis, quæ animaduerti in eorum factis, perſuaſiſſimum habeo, toto cælo aberrare eos, qui aliud à Papis expectant, quam ſuperſtitionem, perfidiam, cades, & rapinas. Moneo autem te, pro mea in te fide, atq; obſeruantia, vt diligentiſſime etiam atque etiam caueas, ne tuum illud ſcriptum in manus veniat τῶν φονέων. Nam quia videris id moliri, vt Papæ authoritas in hoc regno reſtituatur; ſine dubio in magnum fortunæ tuæ periculum adducerentur. Atque, vt ingenuè tibi animi mei ſenſum exponam, ineundæ concordiæ via alia ineunda eſt, ſi Deo, & hominibus operam noſtram probare volumus. Quis neſcit ſanctiſſimam Paparum authoritatem dudum verſam eſſe in horribilem Tyrannidem? Iam elapſa ſunt multa ſæcula, cum omnes boni hoc vident, & gemunt. Vnus Matthæus Paris probationi eius rei ſatis ſuperq; fuerit. Nunquam vllus Tyrannus crudelius ſæuijt in viſcera ſubditorum, ac ſæuitum eſt in miſeros Anglos, quamdiu illos Papæ in ſuâ poteſtate habuerunt. Deniq; regnũ iſtud Papæ eſt, & illud Papis vindicant Bellarminus, & id genus deteſtanda Paparum mancipia. Sed de regno parum eſt, præ veritate religionis: quã hodie retineri à Papiſtis dici non poteſt. Lond. X. Kal. Sept. cIↃ IↃ CXIII.

Sequitur in Præfatione Roſwedi, *Nonne antequam in Angliam diſcederes, negotium dederas Georgio Strachano nobili Scoto, qui filium primogenitum Iohannem Caſaubonum Mathematicis artibus inſtruebat, vt occaſione arrepta in quotidianis lectionibus ſenſim ad Religionem Catholicam amplectendam illum inuitaret.* Quam non ſit ijs facile credendum, quæ de alijs referuntur, potui quidem aliunde diſcere, eximiè tamen ex hoc experimento. Cætera enim quæ de Patre dicta ſunt, ſunt quidem non minus falſa, habent tamen plus difficultatis ad conuincendum, & refellendum: hac res apertè falſa, & cõmentitia, quantâ audaciâ, quantâ conſidentiâ affirmatur? Quo tempore Pater aſſiduis ferè certorũ hominum tentationibus interpellabatur, ad ſuas eum partes traducendi incredibili cupiditate feruentium, Frater natu maximus, qui tunc annum agebat circiter XIX. à quibuſdam eſt pellectus, qui ſimul illi annuo CC. aureorum ſtipendio proſpexerunt. Tam cautè, & callidè res agebatur, vt prius ſit confecta, quàm de eâ quicquam ad Patris aures peruenerit, qui nihil tale ſuſpicabatur, aut metuebat. Frater autem poſt defectionem ſuam, cum aliquamdiu domo

domo abfuiſſet, veritus conſpectum patris adduxit deprecatorem, ſtatimq; aduolutus ad genua, flens poſtulauit veniam à Patre, quod tantam rem eſſet auſus ipſo inconſulto: Se autem veritum eſſe, ne ſi re adhuc integra in conſilium eum adhibuiſſet, voto ſuo fuiſſet obſtiturus. Pater ad rem tam miram & improuiſam ſtupore pariter, & dolore perculſus, bene longum tempus inter gemitus, & querelas egit cum vxore. Eo ipſo die ſcripſit hæc in ſuâ Ephemeride, XIX. *Kal. Sept. O vitam aerumnoſam! O Satanæ inſidias! Qui non potuere me impellere, vt imaginem adorarem, vt doctrinam diabolorum amplecterer, ij filium natu maximum mihi terripuerunt, & corruperunt.* Τί ποιήσατε ἐχίδνων, *quid vos mouit, vt hanc fraudem aduerſus me excogitaretis? adoleſcentem imperitum rerum, imperitum diſputationum Theologicarum in retia veſtra compuliſtis, me inſcio, me inuito. Dominus Ieſus illius miſereatur, & mei per illam infinitam ſuam miſericordiam. idem reſpiciat hanc domum: ſeruet vxorem chariſſimam, & liberos in timore ſui nominis confirmet. Amen.*

Poſtea cupidiſſimè conatus eſt ſeductum Patrem ab errore reuocare, ea qui-

dem ratione, quæ illi visa est vnica, verbis scilicet, & argumentis, non vi, aut imperio. Cum Frater esset in Anglia eo tempore, quo primum Roswedi Tabulæ prodierunt in lucem, Vir Illustrissimus, Lancelotus Andræas, tunc Eliensis, nunc Wintonensis Episcopus, diligenter eum super his rebus interrogauit, qui respondit in hæc verba, Quod ad meum factum in negotio Religionis attinet, conscientia me mea cogit Patrem meum purgare coram Deo, atque hominibus, vt qui, quæ fecerim, meis ipse consilijs, inscio patre fecerim. Hæc ipsa verba excepi paucos ante dies, quàm hæc scribebam, ex ore viri Venerandi, cuius testatissima fides, atq; integritas, apud æquos iudices facilè veritatem vindicabit à contrarijs aliorum asseuerationibus. Sed progrediamur. Roswed. *Ille igitur, cùm appeteret Pentecostes festum, neq; certi quicquam de te statueres, quod timeret, ne transmarinis artibus seduceretur, ante tuum è Gallia discessum publicè Catholicam fidem professus est.* Vtrum Frater vna erat cum Patre iturus in Angliam, necne, compertum non habeo. Sed non video, quare tunc ituro obstitisset Religionis diuersa professio, quæ postea

non

non obſtitit, quo minùs ſemel, iterumq; veniret: Pater autem ſolus tunc abijt è familiâ, in Comitatu Illuſtriſſimi Legati Henrici Wottoni. *Cùm appeteret*, inquis *Pentecoſtes feſtum, neq; certi quicquam de te ſtatueres.* Atqui illud Feſtum celebratum eſt III. Kal. Iun. Frater autem mutatis partibus transfugium fecit circa XIX. Kalend. Septembreis. Viden' Roſwede in quos te laqueos indueris nimia temeritate, & calumniandi ſtudio? ex quibus nullæ te ſtrophæ, nulla poterit verborum ſubtilitas expedire. Pergis; *Nonne cum Filij operâ vtereris in perquirēdis locis Patrum, rectè à Bellarmino, perperam à Pleſſæo ea citata centies offendiſti?* Credat Iudæus apella: non ego, non quiſquam alius, qui doctus ſit vero diſtinguere falſum. De Bellarmino autem, vt quid Pater ſenſerit eo ipſo tempore, intelligas, locum proferam ex Ephemer. VII. *Kal. Feb.* (Anno ɔIↃ IↃ CX.) *In noſtris & aduerſariorum ſcriptis de Purgatorio hodie fui; & veſaniam, ſtuporem, vafritiem, & quid non in Bellarmino deprehendi. O doctorem mendacij! Te oro Domine Ieſu, ſerua me ab illâ mendaciorum doctrina purum & mundum: da te noſcere, & in tua vnius voluntate acquieſ-*

cere. Amen. Roſw. *Nonne Miniſtri Molinei librum aduerſus Miſſam, adſcriptis margini Notis cenſorijs refertum calumnijs & impoſturis damnaſti?* Solitum eſſe Patrem omnibus quæ attentè legeret Cenſorias notas apponere, doctorum crimina, vel errores quos deprehenderet, liberius inceſſere (ſi tamen libertas eſt dicenda, quæ cogitaueris, ea ſoli tibi ſcribere) ſciunt omnes, qui libros ab ipſo lectos inſpexerunt. Quod ſi quiſpiam bonam agendo cauſſam nonnulla propriâ culpâ vitioq; peccauerit, nihil eſt, opinor, quo minus ille poſſit ſine cauſſæ ipſius iniuriâ, aut detrimento reprehendi: Sed damnatum ab eo Molinei librum, vt calumnijs & impoſturis refertum, mera eſt ſine dubio ſycophantia. Roſw. *Meminiſtin' quoties tibi vxor obijcerit nimis te tergiuerſari; ſe ſi poſſet tam perite libros doctorum legere, aut intelligere, nequaquam tamdiù deliberaturam*, &c. Sunt hæc & illa etiam, quæ ſequuntur, ex eo genere, quæ quàm facile dicuntur, tàm negantur facilè. Quæcunq; autem fuerit occaſio huius ſermonis, authorem illam fuiſſe, aut impulſorem Patri, vt veram fidem deſereret, audaciſſimum eſt & impudentiſſimum mendacium: in

quâ

quâ quàm firma ſemper fuerit, & ſtabilis ſatis arguit dolor ille ἀφατος, & ἀτελὴς abſque Dei ope & miſericordia fuiſſet, quem ex nuperâ ſuorum defectione omnes illam ſciunt amici percepiſſe. Iam puto abundè exploſa, & refutata eſſe, quæ ſunt de Patre in illa præfatione Roſwedi: quæ cum Capellus quoq; in ſuis pro Patre Vindicijs vt fabuloſa reieciſſet, Roſwedus in Anticapello ſuo ita ſe defendit ex amici Literis: *Omnia, quæ in præfatione Legis Talionis ſcripſiſti, & ipſi Dienſi Epiſcopo teſtificatus eſt Iohannes Caſaubonus in Anglia, ea penitus ita euenisſe, vt tibi narrata ſunt. Porrò, ſi opus eſt, idem ſcripto teſtabitur, etiam iurejurando interpoſito.* Sed cum ne ſic quidem poſſet adduci Capellus, vt illa falſi ſuſpicione abſolueret, Roſwedus in vltimo contra Capellum libro teſtem ſuum quaſi præſentem ſtitit, editâ quadam Iohannis, vt ait ille, Caſauboni, Fratris mei natu maioris epiſtolâ, qua pleraque eorum, non tamen omnia, quæ Roſwedus antea Præfatione in illa de Patre ſcripſerat, repetuntur, & aſſeruntur. Ego lectâ illâ Epiſtolâ pro rei indignitate commotus animo, (quia videbatur Frater eam ſcripſiſſe, vt infenſiſſimo & vi-

rulentiſſimo ſui Patris aduerſario patrocinaretur,& eum quantum in ipſo erat,præſtaret innocentem, atq; etiam falſa aſſeruiſſe in eiuſdem grãtiam ;) quum primum pro fraternà neceſſitudine priuatim apud eum queſtus eſſem per literas, poſtea quoque paternos ab eo Manes publicè, vt ego interpretabar, offenſos publicà expoſtulatione placaturus: nuper ab eo literas accepi, quibus præciſe negat tale quid vnquam in animo ſibi fuiſſe, quale quod obieceram, meq; vt idem ipſe mihi perſuadeam, multâ cum obtẽtatione rogat: de Roſwedo Patris aduerſario, & eius libris primùm ſe ex meis didiciſſe; vt vero aliquid in eius gratiam ſcripſerit, aut contra Patrem, vehementer abominari: charam ſibi ac venerãdam Patris eſſe memoriam, ac ſemper fore; quam qui irent infamatum, eos ſe ſacros & inteſtabiles habiturum: epiſtola autem illa,de quâ loquebar, quænam ſit, aut vnde,neſcire ſe, nec ſuper ea quicquam certi reſpondere poſſe, donec ipſam viderit. Macte eſto,Frater,hac pietate,cuius hæc tua profeſsio,& accurata ſignificatio (quanquam de ipſa dubitare non debuerim, qui te probè noſſem) extulit me ſingulari gaudio, tum quia rem

ipſam

ipsam admodum cupiebam, tum etiam quia simul adempta mihi est, necessariæ alioquin, occasio querimoniæ. Ne tamen Frater, nimio quodam & inconsulto Patris, aut partium studio pecces, & patrij nominis obtrectatores imprudens adiuues, etiam atque etiam cauendum tibi puto, adeoq; vt caueas oro obtestorque. Tu scilicet in laudem Patris, & honorem putas cedere, si eum quàm proximè abeâ, quam putas Orthodoxâ Fide aberrasse & maximè ad vestras partes propendisse persuadeas. At non vides Patris aduersarios hoc tuo cuiusmodicumque pietatis officio vsuros in eius contumeliam, dum suas ex eo de dissimulatione ipsius, auaritiâ, & assentatione calumnias confirmare, & probare conabûtur. Certe si tua sint illa, quæ tibi Roswedus ascribit (de quo tibi non liquere respondisti) non video qua te possis idoneâ satis excusatione defendere. Nam vel illud primum de tua defectione, quæ Patri imputatur, quî potuit à te bonâ fide, & quod ita re verâ sentires, affirmari? Ego quidem facilè crediderim Strachanum hoc astu vsum, quò te posteritur, Patrem ipsi eius consilij authorem fuisse; sed rei vanitatem mox expertus es, & postea

ſtea ex Patris Ephemer. (quas video tibi adeo diligenter, & attentè lectas) certò ſcire potuiſti, quæ hoc mendacium, vt alia quàm plurima de ipſius Fide, tam clarè & apertè conuincunt. Sed nolo plura de illa Epiſtolâ, donec eam pro genuino fœtu à te agnoſci, liquido mihi conſtiterit. Hactenus probauimus Patris in cauſſa Religionis firmitatem & conſtantiam, atq; ea quæ contra afferebantur, fuſe refutauimus. Oſtendimus à longo iam tempore rumores, & ſermones aſſiduos, & quam illi vani eſſent & inanes oſtendimus. Quia autem, vt ait Philoſophorum princeps in Ethicis; quò fidem veritas facilius inueniat, & falſitas extrudatur, ὑ μόνον δ' ἐν τοῖς ἐπαίνοις, ἀλλὰ καὶ τὸ ἄπιστον τῶν ψόγων, videndum nobis eſt vtrum poſſimus præter illas, quas iam indicauimus, propiores aliquas horũ rumorum, qui adeo fuerunt conſtantes, & diuturni, cauſſas indagare. Primam licet ponamus, amorem atque admirationem veræ antiquitatis, ſiue Primitiuæ Eccleſiæ, non in ijs tantum quæ pertinent ad fidem atq; doctrinam, quæ non erat cur deſideraret inter eos è quibus ipſe erat, ſed & ea quæ ad ritus & diſciplinam atq; alia, quæ cum alioquin agnoſceret ἀδιάφορα, tamen pro-

probabat vt antiqua, & noluiſſet ob leues cauſſas abolita. Addamus huic cultum & venerationem erga Sanctos Patres, quæ tanta erat, vt multo plus illis deferret, quam multi cupiebant, & ipſe contra ſperni illos à quoquam, & haberi contemptui, patienter ferre non poſſet. Præterea, cum ſi quiſquam alius ex intimo cordis affectu factionibus & diſſidijs Chriſtianorum in cauſſa Religionis ingemiſceret, & acerbiſſimum ex ea re dolorem caperet, putaretq; non vltimum aut minimum concordiæ impedimentum eſſe quorundam ex vtriſque partibus hominum proteruitatem, & ἀνθάδειαν, illamq; quam ex Baſilio elegantiſſime appellabat τῆς ἀνθρωπίνης ἀμαρτίας, ipſe in diſputationibus, quas cum τῶν ἑτεροδόξων anteſignanis quibuſdam habuit frequentiſſimas, hanc tenuit rationem, vt moderationis ac modeſtiæ primam curam haberet: vt etiam multa aliquando ipſis concederet, quæ etſi miſſa fortaſſe meliora, tamen tanti non erant, vt ea propter pax & concordia Eccleſiæ deberet impediri. Atq; hæc erat illa antiquorum συγκατάβασις; quam & laudabat ipſe toties & alijs tam ſtudioſe proponebat. Ipſe autem erat frontis à natura tenerrimæ, qualis certe

te huius generis certaminibus minime apta erat, quæ plerunq; ad ostentationem magna contentione solent obiri, & in quibus verecundia τῆς ἥττας, & turpis fugæ nomen non raro habet. Post remò, cum haberet non paucos inter τὰς ἐξ ἐναντίας amicos arctissimâ consuetudine sibi iunctos, & à suis insignes iniurias accepisset, de quibus audiebantur nonnunquam liberiores eius querelæ, multis nata est hæc suspicio, quasi ad alias partes inclinaret. Hæc omnia qui bene expendet, is, opinor, causas illorum rumorum, de quibus diximus, non rogabit, nec aliter fere (vt sunt nunc homines) accidere potuisse intelliget: quanquam semper summo studio cauerit Pater, ne scandalis in Ecclesia, & offensioni occasionem præberet. Sed vt semel, & ingenue quod res est fatear, negari non potest, aliquantum concussam ac labefactatam vltimo illo, ac tam diuturno cum Cardinali congressu eius fidem de quibusdam doctrinæ capitibus, ipsumq; aliquandiu dubium quid in illis sequeretur fluctuasse, donec expetitum nactus otium, sedulâ Theologorum lectione, scrupulos ex animo, quos facundi Cardinalis ἡ σφοδρὴ δύναμις iniecerat, penitus eximeret. Ille autem

autem hanc anxietatem non dissimulabat apud amicos, aut tacebat, vt vel ex hac ἀμφιβολίᾳ Lectij apparebit, quando illam, quam ipse scripserat non habeo. *Is. Casau-*

Is. CASAVBONO IACOBVS LECTIVS, Viro Clar. S. D.

Animum meum, non sine aliqua tristitiæ mixtura litera tua delectarunt. Nam quemadmodum mendacem illam circa te famam, de qua scripseram esse firmasti, & Pontificiorum pollicitationibus aduersus pietatem tuam nihil licuisse, nihil in posterum licere posse testaris, ita scrupulos quosdam, & spinas ob veterum nonnullorum scripta non dissiteris, quibus sanctissimum tuum pectus exerceri video mœstus, & dolens. Sed mihi crede, &c. Gen. Allobrogum XXII. *Aug.* CIↃ IↃ CX. Hos scrupulos qui vocauerit mentis inconstantiam, & instabilitatem, næ ego iudicium illius nihil moror. Æquus iudex perpendat quantæ constantiæ fuerit tot annos duraſſe immotum & inconcussum contra assiduas tentationes, tam eorum qui præmijs & promissis eius integritatem corrumpere, quam qui disputando & argumentis adducere eum, & expugnare conabantur. Cogitabit etiam cum quibus res illi fuerit: non cum quibusdam de triuio semidoctis, & σοφιστοβρώσι, sed

sed cum ijs, quibus ex illis partibus nulli doctrinâ & ingenio superiores erant, ne dicam pares; qui subtilitate & artificio in huius generis contentionibus totâ Europâ notissimi erant & celeberrimi. Ex omnibus autem fidei controversis capitibus maximè impeditus fuit eo, quod est de S. Eucharistiâ, nec ante conquievit, quàm collectis magno labore omnium antiquorum sententijs de eo Sacramento, & accuratè expensis, tandem quid sibi esset super eo statuendum certò intellexerit. Erat inserturus illum tractatum editis Exercit. ad Baronium: sed magnitudo illius, & festinatio Typographi, in aliud eum tempus editionem differre coegerunt. Post eius obitum quid de eo libro actum sit, aut à quo surreptum, nondum resciri potuit. Ad locum Barclaij quod attinet, vbi dicit Casaubonum in Aulâ Regis Seren. asseruisse *Eucharistiam esse sacrificium propitiatorium, sacrificium mortuis*, multa possent responderi (ne de Barclaij fide dubitem) ex Patrum sententiâ, quæ non sunt huius loci. Obijciunt aduersarij, quod quicquid in Anglia scripserit, contra conscientiam scripserit. Quid igitur impulit? An lucri alicuius, & emolumenti ratio? de hoc mox vi-

videbimus, quum de moribus agemus. At, inquiunt, illa sunt contraria fidei, quam in Gallia veram esse agnouerat. Telum hoc iam ex ijs quæ à nobis ante sunt allata sufficienter retusum est: hoc vnum addam: Quum Pater primum venit in Angliam, fore illam propriam sibi sedem ne per somnium quidem cogitauerat. Huius rei possunt esse testes amici quotquot præsens tum discessurus, aut postea ex Anglia per literas fecit sui consilij participes. Nec plures quam quatuor menses ad hoc iter conficiendum à Regina impetrauerat; ideo etiam solus venerat, relictis in Gallia vxore, & liberis omnibus. Epistola ad Frontonem non ita diu postquam hic fuit inchoata est; etsi propter varias causas tardius illam absoluerit. Postea cum curante Rege Serenissimo, facta illi venia est diutius hic manendi, non plenam missionem obtinuit, sed eum reuocandi quando vellet integrum sibi Regina Christianissima reliquit. Cogitet iam Lector, vtrum fuerit hominis, non dicam prudentis, cuius negant esse, Suauia quæ sunt, prima habere, & non consulere in longitudinem, sed omnino non insani, ea scribere breuis commodi gratia, quæ sciebat paulò post

ceſſura ſibi perpetuo damno ? Certè ſi conſtituerat poſt reditum tranſire ad alia caſtra, nihil potuit à ſuis rationibus magis alienum facere, quam erant illa, quæ ſcripſerat in Anglia. Denique nimis mirum mihi videtur Ill. Cardinalem, qui ipſius animum optimè notum habebat, hoc illi crimen diſſimulationis nunquam exprobraſſe. Habeo ipſius literas quas ad eum miſit in Angliam : de religione in illis multa, imò pleraq; : illâ de re ne verbum quidem. Sed iterum inſtant aduerſarij, & tela petunt è priuatis ipſius epiſtolis ad V. C. Andræam Schottum. Audiamus igitur quid illa probent. *Iuſſus à Sereniſſ. Rege libro Lutetiæ edito à veſtris ſocietatis hominibus breuiter reſpondere, paucas in eam rem chartas exaraui, &c. Quanquam ego ſanctè inuro eo animo ſcripſiſſe me, vt manu meâ deſcriptam Epiſtolam mitterem. Aliter placitum Ser. & Optimo principi M. B. Regi, cuius voluntas mihi pro regula eſt, atque eſſe debet.* O grauem plagam ! An quia Regis iuſſu, & ſcripta, & edita eſt illa Epiſtola, ideò non potuit Caſaubonus ex ſententiâ ſcripſiſſe ? An potius illa opponitis, *cuius voluntas mihi pro regula eſt atque eſſe debet ?* Sed quis tam iniquus, vt illa

illa ad res fidei referenda dicat? alioquin quis illa quibus frequenter vtimur, *tibi deuotißimus, tibi obſequentißimus*, &c. neget impietatis plena? Videamus alia; *Video incidiſſe in manus tuas Epiſtolam ad Frontonem, & genus hoc totum ſcriptionis tibi diſplicere. Nec miror: nam & ipſe* ἑκὼν ἀέκοντι θυμῷ *ad tractationem eiuſmodi argumenti animum appuli.* Vereor ne præuaricari quibuſdam videaris, Roſwede, & tuam cauſſam prodere. Sunt hæc enim ita friuola & inepta, vt merito quis iudicet ab eo eſſe allata, qui velit credi aduerſario nihil veri, & ſolidi obijci potuiſſe. Nos ſanè didicimus à philoſophis actiones quaſdam eſſe mixtas, πράξεις μικτὰς, vt vocat Ariſtoteles, quæ etiamſi ἁπλῶς, καὶ καθ' αὑτὰς, aut propter aliquas circumſtantias ſint ἀκούσιαι, ſine tamen, καὶ τῇ ἀρχὴν ἑκὼν τῶν πράξεων ſunt ἑκούσιαι. Affectus τῶν τοιούτων πάθεων vulgo iam ſolet exprimi eleganti Homeri hemiſtichio, vt feciſſe aliquid dicatur ἑκὼν ἀέκοντι θυμῷ, quo merito vſus pater, qui libens acceſſit ad tractationem illius argumenti propter veritatis defenſionem, & invitus, quia ab eius generis contentioſis ſcriptis animo abhorrebat, multorumq; offenſiones atque odia ſe eo ſcripto incurſurum

præuidebat. Hæc ſcripſeram, quum forte incidi in illam ipſam Epiſtolam, è quâ verba hæc deſumpta ſunt: quâ lectâ inſignem ſtatim fraudem ac malitiam Roſwedi deprehendi. Nam cum illa verba ſola poſita variam admittant coniecturam, vt vel ita vt diximus, vel etiam *inuitus*, tanquam coactus ab alio ſcripſiſſe intelligatur, illa addita erant in epiſtola, quæ nullum relinquebant dubitandi locum: quod vt appareat, plura ex illa epiſtola hic deſcribam.

Video incidiſſe in manus tuas Epiſtolam ad Frontonem, & genus hoc totum ſcriptionis tibi diſplicere. Nec miror: nam & ipſe ἐκὼν ἀέκοντι θυμῷ ad tractationem eiuſmodi argumenti animum appuli. Quis coegit? inquies. Dicam tibi, mi Schotte, quod res eſt. Illa atra & nefaſta dies, quæ Henricum Magnum terris eripuit, eadem totam meorum ſtudiorum rationem conturbauit. Tantus enim me ſceleris immanis horror inuaſit, tantum vitæ huiuſce tædium, vt ex illo tempore, prioribus curis relictis, id ferè vnicum agam, vt vel cædi facta illachrymem, vel faciendæ cauſſam inquiram. Nemo autem dubitat peritus rerum, parricidium illud eius doctrinæ fructum eſſe, quæ ſtatuit Reges ac Principes, ſi Romano Pontifici ceperint

perint displicere, deponi, tolli, occidi posse impunè. Scio abhorrere tuam pietatem ab illa immanitate. Sed illud non potes nescire, multos hodie libros conscribi asserendæ illi impiæ doctrinæ. Ne alios commemorem, meministi, opinor, eorum, quæ scribit Thomas Bozius lib. XVII. *in signo* LXXVI. *vbi causas colligit, propter quas ius esse contendit Rom. Pont. Imperatores, Reges, & Principes, solùs auitis deturbãdi, & regna transferendi. Quæ doctrina quamdiu docebitur, & vt Papæ grata defendetur, certum est nunquam defuturos, qui parricidia aggrediantur. Ego igitur, quum ex quo in Angliam veni plurimos eius argumenti libros legerim, & magna attentione considerarim, ita cepi horrere, & doctrinam Stygiam, & eius assertores, vt perfidæ ignauiæ reum me futurum crederem, nisi gliscenti malo pro meâ virili me opponerem. Adde quod eius Epistolæ scribendæ occasio nata est, quam ipse nec quæsiui, nec oblatam potui declinare, &c. Vale Londini, X. Kal. Mart.* Ↄ IↃ CXII. Tuam fidem, Roswede, tuam fidem! Iterumq; (vt tua tibi reponam) tuam fidem Roswede, tuam fidem! Hoc etiam vtuntur argumento ijdem Patris aduersarij, vt eum probent in Regis Angliæ gratiam

ſcripſiſſe, quia animum ad id genus ſtudij nunquam prius adiecerat, adeoque fuerit omnis Theologiæ expers & ignarus. De hoc, cũ de ſtudijs eius & eruditione. Nunc quia multi dicunt vitam hominis eſſe quaſi ſcænam, in quâ homines non niſi perſonati ſpectantur, ſolam eſſe mortem quæ veros nobis homines exhibeat, conſideremus qualis eius obitus fuerit, quam ſcriptis, & anteactæ vitæ reſponderit. Non omnia fortè proferam, quæ poterant dici: hæc tamen qualiacunq; veritati confirmandæ ſatis erunt. Toto fatalis morbi tempore, non alij ferè fuerunt eius ſermones cum liberis, quàm de pietate, quibus illos hortabatur ad conſtantem Dei timorem, & piæ Matris obſequium. Dolorem autem ſuum aliquoties teſtatus eſt, quod confutationem Annalium Baronij, opus ad Dei gloriam, & veritatis defenſionem ſuſceptum, imperfectum relinqueret. Eò tempore quum veniſſet à Legato R. G. Vir quidem Nobilis, qui illum, vt quam fidem & Eccleſiã probaret, palam declararet, & agnoſceret hortaretur, *Ergo* (inquit Pater) *putaſti, Domine, me in re tanti momenti hactenus diſſimulaſſe?* Deinde rem ipſam vehementer deteſtatus, & abomina-

tus

tus est. Noste, quæ vltima, aut penultima ipsius obitum præcessit, quum iam non procul abesse se à metâ ex morbi vehementia coniiceret, vocatis ad se liberis, præsente vxore, singulis ordine, inuocato Dei nomine benedixit, atq; inter alia sedulo eos ac sollicitè admonuit, caverent sibi à fratris natu maximi exemplo, sed in fide, quâ erant à parentibus imbuti, firmè ac constanter perseverarent. Toto autem huius nouissimi morbi tempore, frequentes habuit Dei Ministros in Ecclesia Gallicana, quæ est Londini, sponte plerunque, & ex muneris ratione venientes; aliquando tamen, vt subitaneæ nunc occasiones occurrebant, ipso volente ac iubente accitos. Dicat iam qui volet, quid in his omnibus animum arguat Pontificium, aut à priore ipsius professione alienum? Valeant igitur, & explodantur vanissimi rumusculi, qui de morte eius dissipati sunt, & eorum pudeat, tam qui temerè assenserunt, quam qui authores ipsi fuerunt.

M. CASAVBONI IS. F. PIETAS.

PARS III.

De vita & moribus ISAACI CASAVBONI.

QVamuis res ſunt inter ſe diuerſiſſimæ, Fides & Mores, prauo tamen ſæculi more factum eſt, vt nemini ferè ſit de fide ſua reſpondendum, cui non etiam ſit neceſſaria pro vita ac moribus Apologia. Ita enim multi credunt, ſe maxime illam fidem, & religionem conuincere, cum illorum vitam moreſq;, qui illi adhærent, in vulgus infamarint, probris ac conuitijs omne genus traduxerint. Res notior quàm vt exemplis egeat. Nos quidem hanc partem reſponſionis rectè poteramus, ac ſine fraude præterire, qui ſciamus notiorem pleriſq; Is. Caſauboni innocentiam, & integritatem vitæ, quàm vt poſſit per vllas ſycophantias, & calumnias in dubium vocari. Debet hoc illi patria, neq; vnquam negabit vt ſpero; debent omnes loci in quibuſcunq;

cunq; vixit, debent omnes homines cum quibuſcunq; conuerſatus eſt, vt ſuo teſtimonio atq; patrocinio eius innocentiam contra falſa crimina tueantur. Et ſane vix puto quenquam in totâ Galliâ, modo qui ſit ab affectibus liber, & priuato odio non agatur, qui non illi boni & probi (de fide iam non quæro) laudem libenter tribuat. Ego quidem, qui multorum aduerſariorum de eo ſermonibus etiam ignotus interfui, nunquam aliter de eo loquentes audij. Vbicunq; fuit, optimi cuiuſq; ſtudium ac beneuolentiam meruit, non eruditionis duntaxat, ſed multo magis probitatis opinione: quo nomine Rex Galliæ eum ſe diligere, ipſi illi teſtatus eſt. Poſſem magni cuiuſdam viri, & omnibus Rom. Pontificum placitis vltra commune Gallorum ingenium addictiſſimi de eo verba proferre, quæ proculdubio multi mirarentur. Poſſem multorum literas in medium afferre, quæ vel ſolæ ſufficerent ad os maledicis, & malignis occludendum. Sed in re non neceſſaria nolo Lectoris patientia abuti. Vnus mihi erit inſtar omnium vir Illuſtriſſimus, & propter ſummam eruditionem merito ſuo omnibus venerabilis, Marcus Velſerus; tum quia nullam

puto fieri illi iniuriam, si quod vltro detulit viuo testimonium (vt testatur in literis) mortuo nunc mea opera dicat; tum etiam quia ipsum video tanti fieri ab aduersarijs maledicentissimis Eudæmone & Schoppio (quorum, huius *Symmachus* est illi nuncupatus, illius autem *Thomæ Brightmanni Castigatio*) vt eius authoritatem eleuare, aut repudiare nulla ratione queant. Is igitur hunc in modū ad Patrem scripsit. *Salue vir Charissime, Male sit, siue tabellariorum tarditati, siue eorum qui literas per tabellarios curant negligentiæ, horum enim potius culpa fieri suspicor, quod literis quas tu Kal. Aug. in villa ad flumen Eliam dedisti, nunc demum respondeam, cum me tibi quamprimum quam diligentissimè purgari permultum interesset, etsi hoc ne nunc quidem curis & occupationibus prorsus obrutus, vt vellem præstare possum. Egone vt quicquam ad Saulium scripserim, quo Casaubonus, qui quo loco apud me sit, non tam ego ipse mihi testis sum, quam omnes præterea norunt, aqui iniqui, neq; enim ad amicos tantum provocare libet, quod eorum suspectum plerunq; testimonium, merito offendi debeat? ego vt eum parum sinceris coloribus pinxerim? Ita me Deus bene amet*

vt

vt nulla huius criminis conſcientia tangar, nec omnino in memoriam eorum quæ ſcripſi redire, nec etiam conjectando poſſum aſſequi. Niſi quid joco forte, quod inter amicos tum ſolet tum licet, liberius aſperſi. Memini Senecam ſcribere, quaſdam interpretando fieri iniurias. quæſo literas in manus reſume, & poſito offenſi animi præiudicio, vide an male auſpicata illa verba quacunq; ſunt leniore interpretationem admittant; tum enim facilè de aquitate tua mihi pollicitor te aſſenturum, ſi maxime quoq; locum inuenire poſſis, non prælaturum. Sin contrà perſeueres, quid ego poſſum? arbitratu tuo iuſiurandum dabo, indignum eſſe te injuria hac, me nulla dicta aut ſcripta quæ ſcripſi. Scis mi Cuſpe bone, quod in re deſiderem, vnum eſſe, id neq; diſſimulaui vnquam neq; diſſimulaturus ſum neq; niſi te tantopere amarem, vtide deſiderarem, de eo autem cur ad Sauilium ſcriberem, facilè intelligis nihil fuiſſe, decerero, obſeruantiam, cultum, atque admirationem, quæ virtute & doctrina ſummis noſtra ætatis viris debetur, omnem tibi defero. Si falſo. ſed nolo plura, nam te quantumuis iratum, vellè de candore meo iudicare arbitror. Erant præterea quæ adderem, ſed nunc temporis angustijs excludor, vt te

pla-

placatum sciam reſcribe, literas Sautilius facilè curabit, aut tu ad quemcumq́, amicorum Antuerpiam mitte. Vale 26. die Octob. An. 1611.

Tuus

Marcus Velſerus.

Non potui teſtem, aut laudatorem locupletiorem producere. Qui autem talis ipſe fuerit, quam curam domus habuiſſe par ſit, vt ſibi non dedecori, ſed quàm ſimilis eſſet, poteſt ſuo Lector animo reputare. Hoc ſanè præſtitit, vt bonæ illam famæ, nec vllis fabulis obnoxiæ ſemper habuerit. Nulla, vt opinor, erit inuidia, ſi illum, quem alicubi citat contra Caſaubonum Roſwedus, eundem hic pro Patre anteſter. Cum igitur hæc Pater ſcripſiſſet ad Iohannem Wouerium, *Quod ſupereſt, diuturni ſilentij mei cauſſam ſic accipe. Cum in hanc vrbem ſecundùm veni ante annos quatuor, relatum mihi ab amicis familiaribus aliquando tuis, te quamdiu hic verſatus es, ſolitum de me, de vxore, de liberis jocoſos ſermones cum nequiſſimo bipedum, qui Sidonio tuo tantum debet, habere. Non ſum veritus virtute Dei, ne honeſtati domus meæ talibus ſermonibus poſſet noceri. Ipſe*

vir-

virtutis & literarum amorem professus semper, cur viderer, materiam, quod sciam, nemini mortalium dedi. Vxor pietate, probitate & alijs virtutibus muliebribus conspicua: pudicitiâ autem adeo insignis, vt ne fabulæ quidem occasio vel minima sit ab illa data. Liberos vel atas tum adhuc tenera ab eorum vrbanis dictis, qui Patrem parum amabant tutos præstare debuit. Atq; hæc ò nunc tibi aperio, non quod nouum aut admodum mihi videatur [illegible] *extitisse qui me viderent, aut mea: sed vt causam agnoscerem, cur ad varias epistolas tuas, quas ex Italia & Germania ad me misisti, respondere hactenus supersederim. Vale. Lutetiæ Parisiorum a.d. IX. Kal. Ian.* CIↃ IↃ CLII. *anno ætatis Dionysiano.*

WOVERIVS hunc in modum paulo post respondit:

Sed prauertere oportet ad horribile illud & ferale carmen, quo literas tuas claudis, tanquam si jocosos sermones de te domeq; tuæ sparsissem. In quo duo mihi grauissima acciderunt, quod accusari me neglecti sodalis & humanitatis intelligam, tum quod te offensum videam. Quæ tristem & confusum ita exercuerunt, vt ab eo die nusquam me latum aspexerim. Iubeo te redire in præterita, complectere

plectere quaeſo imaginem rerum mearum, quamdiu domi tuæ vixi: revoca in memoriam adfectum, quo inflammatus inſuperhabitis omnibus commodis ad te feſtinani. Nec retinuerunt ampla itinerum ſpatia, nec locus ipſe exceptus humaniori commercio, quod tu peregrinatione inprimis à nobis ſpectari ſolet, impedijt, quo minus vtiles annos ignobili ſitu perdere ſuſtinuerim. Haud dicere potes, percontando, & indagando doctrinæ omne genus te moleſtum ſenſiſſe. Intento ſcilicet ad aliud vitæ genus, ſufficere poterat adſpectu tuo frui, & arctiori familiaritate conſueſcere, vt ſederetur adfectus, quem admiratio tuarum virtutum in me incenderat. Cuius nunc dignißimum hoc præmium fero, vt mihi iraſci & fortaſſe amantißimum tui odiſſe potes. O fatum nunquamne detumeſcet implacabilis iſta ira cuius vires tolerem? ſentio. Iam enim in conſuetudinem nobis vertit, vt ij quos amiciſſimos expertus ſum ſubtractum ex oculis odiſſe incipiant, ita miſeri calumnijs opportuni ſumus, quæ grauius nocere non poterant, quam vt te à nobis alienum redderent. Et tamen non video cur ad eas credulas aures déflectere debueris, quin potius ijs acquieſcendum fuit, quæ coram vidiſti & probaſti: Quanquam non

deſcen-

deſcendam tecum in hanc litem, quam ſi meam ſerio facerem, vel tuo ipſius iudicio abſoluerer. Ego vero de te contemptim loquerer, quem inter omnes mortales per admirabiles ingenij dotes ſolum ſuſpiciendum elegi? Prouoco ad publicum teſtimonium, quod cum olim debebam, nunc opportune exhibui: Vxorem vero tuam vbiq; gentium verum pudicitiæ, & probitatis exemplar commendaui. De liberis ſequiora proferre, par inſania erit agere vel credere poſſe, quorum ſcilicet anni tam innocentes, vt nec beneficium nec injuria in illos caderet. Quod ſatis erat ad detegenda illorũ mendacia qui mihi amorem tuum inuiderunt. ſed vtinam author calũniæ prodidiſſes, effeciſſem profecto intelligeret, me mendacia non minus redarguere quam vlſciſci poſſe. & ſpero equidem me ad te aliquando rediturum, ita nunquam mihi bene ſit, niſi hoc ſcelus ſanguine mibi expiabit. Interim per omnia ſacra, per jus hoſpitij, per genij tui facilitatem te rogo quæſoq; ne improbiſſimorum hominum calumnijs aures præbeas, ſed norit me innocentiſſimum & tibi deuotiſſimum ita ijs expoſitum vt pene cum ipſius lucis tadio mortem pro munere amplecti deſiderem. Teſtor Deũ & conſcientiam meam me nihil vnquam

Polymathia p. 103.

male

male de te tuiſq; cogitaſſe, nedum dixiſſe apud eos quos ipſe merito odi. Me vero beatum, immo Deum, ſi intellexero te animo tuo hoc vulnus ſine cicatrice deleuiſſe, quod te rogo & obſecro. Literas ad me tuas per Scaligerum rectè curabis. Incluſas haſce cum exemplari Panegyrici & Polymathiæ Chriſtophoro Puteano tradas velim. Vale, Clariſſime Domine, & me ama. Hamburg. XIV. *Mart.* clɔ lɔ CIV.

His igitur fretus poſſem ſine damno cauſſæ hanc partem præterire, nec noſtra refutatione digna putare, quæ vel redempta propudia, aut irati, ſeu zelotæ aduerſarij in ipſius mores ac vitam, pari veſania & impudentia confixerunt. Solum nomen illius ac fama oppoſita, quantauis noſtra diligentia criminationes eorum melius refellent. Præterea, nolo occaſionem dare ſceleratis hominibus ſimilis in poſterum licentiæ, ſi putidiſſimorum ſuorum figmentorum aliquam à nobis haberi rationem videant. Nunquam enim deſinent homines ad hoc vnum facti, noua monſtra fingere, dum putabunt eſſe, qui illa debellare, operæ pretium ſint exiſtimaturi. Quam facilis res eſt, nefandis ſceleribus optimi cuiuſq; nomen inſcribere, tam

tam deteſtandi & execrandi ſunt illi, qui adeo immanis ſe facinoris obligant. Quia tamen ſunt quædam ex hoc genere, quæ coniuncta ſunt cum priori illâ calumniâ de fide eius, ne quid deſit ad iuſtam reſponſionem, non viſum eſt illa præterire. Non erat veriſimile, hominem bonum, qui veritatis cognitionem haberet, non modo non illi manus dare noluiſſe, ſed vltro etiam & gratis cornua obuertiſſe. Cudendus igitur fuit illis homo, in quem talis ſuſpicio caderet: qui nempe ambitione malâ laboraret, qui opum cupiditate flagraret, qui ingenio vafer & callidus eſſet: tales enim plerunq; ſtudio rerum mundi acti in tranſverſum, & ſuis cupiditatibus occæcati, id ſequi in Religione ſolent, quod putant ad ſuas rationes accommodatiſſimum. Hæc autem quàm verè poſſent de Patre affirmari, vt ipſi probare parum penſi habuerunt, ita nobis, vt illum iſtis criminibus purgemus non erit multum laborandum. Si roges aduerſarios, vnde ſciant Caſaubonum, qui veritatem Romanæ Religionis agnouerit, aliam rerum mundanarum amore & ſtudio eſſe amplexum, nihil habẽt reſpondere, quam quod fuerit ambitioſus, quod φιλάργυρος,

quod

quod ſimulare & diſſimulare doctus. Rurſus ſi quæras quam cauſſam habeant hæc illi impingendi, nullam aliam poſſunt afferre, quam quia cum veritatem non ignorauerit, eam tamen diſſimulauerit, & oppugnauerit. Sed quod hoc, per Ariſtotelem, diſputandi & argumentandi genus? τὸν ἐξ ἀλλήλων καὶ πύκλω ἀπόδειξιν vt ineptam reijciunt οἱ λογικῶν παῖδες. Sed demus illis has ineptias, & rem ipſam videamus. Illene igitur ambitioſus, qui ne famam quidem, cui ſæpe boni indulgent, teſte Tacito, oſtentandâ virtute, aut per artem quæſiuit, procul ſemper ab æmulatione aduerſus ſymmiſtas ſuos, procul à contentione aduerſus prouocantes? Quàm vero ab eo vitio liber ille fuerit, tota vitæ ipſius ratio ac curſus clariſſimè demonſtrabit. Nunquam ille ad honores eos adſpirauit, ad quos non peruenerit: eos plerunq; conſecutus eſt, ad quos non adſpirârat. Geneuæ quum plures annos fuiſſet tam exiguis ſtipendijs, vt ad honeſtæ familiæ ſumptus neceſſarios vix ſufficerent, quam ægre, quam lentè potuit adduci vt illam relinqueret, & Monſpelienſes omni ſtudio vocantes ad lautiorem fortunam, ſequeretur? Monſpelio Lutetiam Regis ipſius literis

accitus

accitus est. In Angliam venit vltro inuitante Sereniſſimo ac Benigniſſimo Rege. Cum autem ſummorum ſemper virorum ſtudia ac voluntates habuerit, duobus maximis Regibus fuerit chariſſimus, neq; ab his quicquam vnquam petijt, neq; illorum beneuolentiâ vſus eſt in ſuum quæſtum: quanquam plura ſemper & ſuâ expectatione maiora ab his & illis acceperit. Sed vir pudens, & verecundus, ſi quiſquã alius, ſemper abhorruit à ſordido illo verbo (vt ipſe loquebatur) *Peto*. Si animus eius fuiſſet in auro & diuitijs, toties oblatis opibus, tot ingentibus promiſſis pietatem tam conſtanter non prætuliſſet. Bone Deus! quibus illum præmijs, quibus illecebris attrahere conati nõ ſunt aduerſarij? Non morabor hic Lectorem longis eorum narrationibus, quæ poſſent hîc dici: ſufficiat nunc locus ex quadam ipſius epiſtolâ ad Andræam Schottum Ieſuitam:

Mutandus, vt video, nobis ſtylus erit. Non enim veritatem prodemus: & multa quæ habemus comperta proferemus, quæ ſilere fuit animus. Tum autem innocentiam noſtram ita, volente Deo, defendemus, vt tu quoq; mutaturus ſis ſententiam: qui perſua-

sum à Græculo Cretensi, scripsisti nuper in schedâ quam vidi. Auri sacra fames non tantum quantum conscientia valeat. Agnoscis tua verba. ἕνα γένωμαι πλούσιος ἢ ἵνα εὐσεβὴς ὦ; *Ego vt aliquid contra conscientiam? ego vt pietati aurum anteponam? aut omnino vt auram sitiam? Non ita est: non ita est: & hoc qui mihi obiicit, parricidarum defensor plus quam Cretice mentitur, & de suis moribus meos sceleratius æstimat. Ego si aurum pluris quam pietatem fecissem, in Angliâ hodiè non essem. Scit hoc magnus Galliarum Cancellarius; scit Illustrissimus Cardinalis Perronius; scit Reuerendissimus Episcopus Parisiensis: sciunt Lutetiæ quicunq; me noxunt, & quibuscum familiariter fuerim versatus, vestræ professionis viri amplissimi, & eruditi maiores exceptione. Passem & Magnum Henricum meæ integritatis, quam ipse notam, & certissimis argumentis compertam habuit, testem excitare: nisi illum dirus Alastor doctrina parricidali imbutus terris eripuisset. Itaq; vir Clarissime, si qua veritatis tibi est cura, si qua innocentiæ, recanta opprobrium, & homini Græculo, Cretensi, parricidarum defensori posthac tanc ne fidem habeas. Ego volente Deo, cum erit opportunum, faxo vt*

men-

mendacia perditiſſimi nebulonis, & omniũ, qui cum illo faciunt, in claram lucem proferantur. Interim opus magnum, &c. *Londini III. Id. Mart.* IↃ IↃ CXIII.

Hinc paret quam impudens ſit illorum calumnia, qui dicunt eum ſui compendij cauſſa aliter in Anglia ſcripſiſſe quam ſentiret. Illa ſane ratio contra eius conſtantiam ſi valuiſſet, nunquam ille veniſſet in Angliam. Quid enim ſperare potuit aut optare, quod ipſi in Gallia, ſi flexibilem ſe illis præbuiſſet qui tanta contentione atq; inſtantia ad ſe trahere nitebantur, in mundo non erat? In Anglia, etiamſi admirabilis ſemper fuerit optimi Regis erga ipſum, & tanto principe digna liberalitas, magis illa tamen apparuit poſt eius obitum, quam viuo ipſo; ita, credo, prouidente Deo, ne vllus aſſentationis ſuſpicioni locus eſſet. Si enim opes eas reliquiſſet Pater, quas honeſta & numeroſa familia requirebat, nullum quidem fuiſſet crimen illum ſuis proſpexiſſe, inde tamen magis probabiliter calumniandi materiam maligni potuiſſent arripere. Nunc, quum præterquam famâ & gloriâ ſui nominis nullâ admodum hæreditate ſuos iuuerit, quis ferat importunos homines, auari-

tiam, lucri ſtudium, & eius generis alia toties illi exprobrare? Quodnam vero, per Deum immortalem, illud lucrum? vbinam illæ diuitiæ? an quia ei fuit vnde honeſtè viueret? quaſi fame fuiſſet periturus niſi auaritiâ ſibi conſuluiſſet. Pudet tædetque his ineptijs tamdiu inhærere: ſed multo magis puderet eos, qui hanc calumniam tertio quoq; verbo ingerunt, niſi illi iam planè depuduiſſent. At fuit aſſentator, inquiunt illi: verè fuit, ſi eum laudare, qui mereatur, id ſit aſſentari. Sed reſpondeat Pater ipſe, qui adhuc viuus inſimulatus huius criminis, hæc ſcripſit ad amicum. *Obijcit mihi Alaſtor vitium fœdum adulationis. Fateor laudaſſe me Regem: ſed indicio & affectu ſyncero. ſic mei Deus miſereatur. Scelerati homines, ſi vnum è ſuis, non dicam Regibus, non dicam Principibus, aut etiam Nobilibus, haberent in quo ſic pietas emineret cum doctrina coniuncta, vt eminet in maximo hoc Rege; quomodo illum jactarent? Adulari vitium eſt Paraſitorum Papalium, qui illi perſuadent, nec Deum ipſum nec hominem, ſed Vice-deum, Omnipotentiæ Pontificiæ Vindicem, & eiuſmodi multa, non ſimpliciter κολακικὰ, ſed deteſtandæ blaſphemiæ plena. Et quid aliud ſunt Baronij*

An-

Annales, aut farrago Bellarminiana, niſi perpetua mendacia ad extollendum τὸν υἱὸν ἀπωλείας ὑπὲρ τῶν οἰκείων? Sed quid non fingant de Patre, qui cum de Caſaubono polypum, verſutum quendam & verſipellem hominem fecerunt? merito ſane illi putandi ex eorum numero, qui candida de nigris, & de candentibus atra ſciunt facere. Non dubito quin boni, veriq; ſtudioſi viri, ſint hoc illi crimen obiectum partim cum riſu, partim cum indignatione audituri. Liceat enim mihi de Patre meo dicere, quod olim vir ſanctus Gregorius Nazianzenus dicebat de ſuo, *ὁ κάλλιστον τῶν ἐκείνου καὶ ἰδιώτατον, καὶ ὑδὲ τοῖς πολλοῖς ἀγνούμενον* Η ΑΠΛΟΤΗΣ *καὶ* ΤΟ ΤΟΥ ΗΘΟΥΣ ΑΔΟΛΟΝ: liceat, inquam, mihi hoc de meo Patre, & licebit, ſcio, per eos, qui quantulacunque cum ipſo conuerſatione, & conſuetudine, mores eius plane non incognitos habuerunt. Claudam hæc omnia veriſſimo eius elogio, quod ex alijs laudibus, quas in ipſum benignâ & liberali manu confert vir Clariſſimus Claudius Expillius, Conſilij interioris Conſiliarius, & Aduocatus Regis Generalis in Senatu Gratianopolitano, ipſius, ſi reuiuiſceret, verecundia libenter admitteret.

Ce courage eloigné de fraude & d'artifice
Qui ne ſentit iamais de l'infame auarice
Les aſſaulx violens,
Franc de l'ambition, qui les plus grãds accable
Deſioit Nemeſis, la Deeſſe implacable
Aux hommes inſolens.

Quæ vir doctus ſic Latinè vertit & edidit,

Cui verſare dolos nec mens accommoda frandi
Vlla fuit, qui nullo auidus contabuit auro:
Cuiq; nec ambita quæſiti indagine faſtus,
Immunes torſere animos vltrice flagello,
Deſpuit infeſtas Nemeſis virtutibus iras,
Quæ face veſanos vlciſcitur horrida fontes.

Eant iam quo digni ſunt cum ſuis calumnijs aduerſarij, & videant quam famam, dum alienam tanto furore appetunt, ipſi meruerint. Sunt alia quædam crimina, Quod mendax, quod calumniator, quod iracundus fuerit, quæ quatenus ex ſcriptis ipſis eius ducta & prompta ſunt, accuratius diluemus, cum loca ipſa examinabimus. Ad mendacium quod attinet, næ ille meruit in omni vitâ elogium illud Attici, *Mendacium nec dicere ſolitum, nec pati potuiſſe.* Calumniandi neq; artem vnquam didicerat, & ab animo atq; voluntate ſemper abhorruit. Ab omni iræ affectu non fuiſſe eum immunem fatemur; ſed ab illa fa-

fatemur, quam cadere in virum bonum prudentes cõsentiũt: quam Græci θυμὸν vocant, & illà prædituṁ ἐυθυμίαν. Verum enim est illud Ciceronis, *Bonorum animi sunt irritabiles.* Asperiorem autem in quosdam fecerunt, partim rei de quà agebat indignitas, vt vbi disputat de Papæ Omnipotentiâ, de licitis Regum parricidijs, &c. partim ipsi qui contumelijs audacissimis capitaliter ipsum primi lacessiuerunt. Notum est illud Publij, vtopinor, *Bonus animus læsus, grauius multo vrgetur*, eius præsertim, qui insuetus contumeliæ, insolens infamiæ, semperq; in laude versatus sit. Mitissimo alioquin, & candidissimo fuisse ingenio, non vita modo, sed scripta quoq;, quæ eius extant omnia manifesto fidem faciunt.

M. CASAVBONI IS. F. PIETAS.

PARS IIII.

De ſtudijs & eruditione ISAACI CASAVBONI.

BEne ceſſit ſua quibuſdam Ducibus & Imperatoribus calliditas, qui rem ſibi cum ſcirent eſſe cum fortiſſimis hoſtibus, & futuris famâ ſuæ virtutis terrori, pro ignauis & imbellibus eos traduxerunt, quo ſuis animum adderent, & alacritatem. Habent & ſuum Rhetores & Sophiſtæ ἐξουθενισμὸν, quo adductis in contemptum aduerſarijs, ſine puluere, ſine ſudore, ſolo vincunt aliorum præiudicio. Vtrum id genus artes, & ſophiſmata Chriſtianos deceant in certamine de Religione, vnicuiq; iudicandum relinquo. Non eam quidem Catholicæ ſemper Eccleſiæ fuiſſe praxin, vel ex ijs patet, quæ de præcipuis quibuſdam Hæreticis, fidei inimicis, à nonnullis antiquorum perhonorifice, & plurimâ cum meritorũ in ipſis agnitione ſunt ſcripta. Eorũ, qui hodie

hodie Catholicorum nomen ſolis ſibi vindicant, quæ ſit ſuper ea re ſententia, quæ conſuetudo, nemo qui vel leuiter eorum ſcripta tractarit, poteſt ignorare. Quotus enim quiſq; eſt eorum, qui quoties meminit alicuius noſtrorum Theologorum, aut qui Theologica ſcripſerunt, aut quoquo modo veritatem contra Eccleſiæ Romanæ corruptelas, & errores ſua operà defenderunt, de eius laudibus meritiſq; pro virili non detrahat? Illi verò pauci, qui zelo adhuc illo præclaro non adeo feruent, ſuamq; libertatem placendi ſtudio non authorarunt, quiq; propter inſitam ingenuitatem, quos ſciunt laude digniſſimos, non poſſunt ſine honorifica mentione, quoties occurrit occaſio, præterire, illi, inquam, pauci id pretium ſuæ virtutis ferunt, vt in ipſorum libros animaduertatur, ſcripta ad aliorũ arbitrium, & cenſuram exigantur, & quaſi recudantur. Vide mihi, Lector, quiſquis hæc vt noua miraris, & prius inaudita tibi, *Indices* illos, quos vocant, *Expurgatorios*, & luculentiora exempla non deſiderabis. Invenies ibi nullam minimam maximam laudem tributam noſtris, quæ ab his egregijs Cenſoribus nõ deleatur, & expungatur.

tur. Dixerat alicubi Thuanus, Lipſius, Wouerius, alij, *Vir magnus Ioſephus Scaliger, I. S. Vir Illuſtriſſimus, Henricus Stephanus vir eruditiſſimus, aut optimus, Franciſcus Iunius Vir Clariſſ. Vir doctiſſimus*, &c. Dele, inquiunt illi, *Vir magnus, Vir Ill. Vir Erudit. Optimus, Clariſ. Doctiſ.* Hæc eſt perpetua, ac conſtans ratio erga omnes alios. Sed multo eſt intolerabilius, adeoque vltima ipſa zeli dicam, an malignitatis linea, quod non tantum homines ipſos ἀινᾶν, & abſolutè laudari prohibent, ſed non vlla patiuntur ipſorum ſcripta commendari, ne in minimis quidem, & leuiſſimis. Vnde quoties occurrunt illa, *optimè notat ad hunc locum, benè interpretatur, accuratè* &c. hic nempe, vel ille è caſtris Proteſtantium, induci volunt illa verba *optimè*, *benè*, *accuratè*, &c. adeo qualeſcunq; noſtræ laudes ſunt illis αἰγίδων ἰφίκτων. Quid, quod non in ſcripta tantum animaduertatur, ſed ipſi quoque aliquando homines pœnas cogantur dare ſui candoris? Queritur Vir Illuſtriſſ. Iac. Aug. Thuanus tanta ſe inuidia flagraſſe, quod Ioſephum Scaligerum omni laude maiorem virum & laudare & amare auſus fuerit, vt eam ob rem præter calumnias

&

& contumelias, multa quoq; pericula adierit. Cuius rei cauſſam hanc eſſe docet Vir ille grauiſſimus, *Quod religio quæ fide & certa de bonitate Dei fiduciâ, necnon caritate olim nitebatur, & maiora indies incrementa capiebat, hodie factione, & humanæ prudentiæ carniſq; conſilijs & coitionibus valere & ſuſtentari credatur.* Quando igitur inter iſtos & parſ pietatis habetur de aduerſarijs detrahere, & facinus eſt expiandum meritis ipſorum agnoſcere, cur quiſquam noſtrûm ſperet, aut optet propriam fortunam, aut communem dolenter ferat? Simul igitur cæpit Caſaubonus in ijs nomen profiteri ſuum, qui pro Veritate contra Pontificios pugnant, ſtatim aduerſarij certatim de ipſo detrahere, Hic illum repentinum Theologum dicere, ille Philoſophiæ rudem prorſus, & ignarum, alius humaniores eius literas varie ſugillare, alius aliud denique, quod eò tenderet, inuenire. Horum omnium Eudæmon-Iohannes, quantum ad malum exemplum proprij furoris, atq; impudentiæ attulit, tantum reliquos in hoc pietatis (ſi ſuperis placet) officio ſuperauit. Hic admodum laborat, vt hominibus perſuadeat, Caſaubonũ nullam hiſtoriæ,

&

& antiquitatis laude dignam cognitionem habuiſſe, neq; Græcè aut Latinè doctum fuiſſe vel mediocriter, (vnde quoties Græci aliquid habet in ſuis ſcriptis Pater, Lexica illi exprobrat, quaſi ex illis ſolis ſaperet) atq; in ſummà, omnium literarum fuiſſe expertem. Quia tamen negare nó poteſt eum *docti & eruditi* famam nomenq; antea ſemper habuiſſe, hunc nodum ſic ſoluit, vt id dicat *hominum errore* contigiſſe: quo nomine de leuitate iudiciorum non vno loco vehementer conqueritur. Haud dubie rabies quædam agebat hominem, cum hæc ſcriberet, qui præſertim ſe tunc grauiter ægrotaſſe fateatur: eorum autem aliquam habere rationem, quæ miſer eo ſtatu animi dixerit, id vero eſſet non homini, ſed morbo iraſci. Hunc igitur ægrum medicis relinquamus, & quid dicant alij videamus. Communis omnium calumnia eſt, Caſaubonum ſtudijs ætatem Philologicis, & Criticis impendiſſe: Theologiæ autem & Philoſophiæ, huius eum planè rudem fuiſſe, illius quicquid in eo fuerit in Anglia demum didiciſſe. Cum Cicero poſt bella ciuilia, qui ad id temporis in foro tantum ſpectatus fuerat, philoſophica multa breui tempore ſcripſiſſet,

multi

multi mirabantur, vnde hoc philoſophandi ſtudium ſubito illi extitiſſet. His reſpondet Cicero, *Se non ſubito cepiſſe philoſophari, ſed tum maxime philoſophatum, cum minimè videbatur.* Crediderim ego ſimiliter non paucos, qui tot Patris opera philologica legerant, alia non minora ab ipſo promiſſa expectabant, & ante credidiſſe huic vni ſtudio eum vacaſſe, & poſtea miratos eſſe, vnde id illi Sacrarum literarum ſtudium ſubito extitiſſet, poſtquam ſe totum ad illas contulerat. His nos quoq; poſſimus ita reſpondere, illum tunc maxime Philoſophiæ, Sacrarumq; literarum ſtudijs incubuiſſe, cum minimè putaretur. Equidem quamdiu intellexit Pater hanc à Deo datam ſibi prouinciã, vt excoleret, & prò virili promoueret humaniores literas, id vnicè dedit operam, vt ſtudiũ ſuum & induſtriam in ornandà ſuà Sparta bonis omnibus approbaret. Hæc illius cura fuit, hæc ambitio: gloriolam, plauſumq; populare, quod multi faciunt, oſtentatione variæ doctrinæ nõ quæſiuit, neq; ex illis vnquam fuit, quibus ſcire ſuum nihil eſt niſi hoc illos ſcire ſciant alij. Non adeo tamen obſcura fuere eius ſtudia, vt quibus in rebus operam poſuiſſet amici

1. de Natura Deorum.

amici familiares ignorarent, aut ex ijs percipi non potuerit, quæ varijs temporibus ab eo sunt edita. Non puto faciendum vt hic omittam Gasparis Schoppij elogium de Patre, non quod is vnquam fuerit Schoppius, vt magni faciendum sit ipsius iudicium, sed quia non tam eius quàm aliorum, famæq; adeo ipsius testimonium continet, tum etiam vt appareat quia conscientia iam alia omnia de eo loquantur aduersarij. *Multi alij etsi nulli alij certæ professioni sese applicuissent, more tamen & modo apicularum nunc hinc nunc illinc quæ sibi & alijs plurimùm vsui esse possent delibarunt: quorum nunc merito primum laudem ijs. Casaubonum hominem Gallum, qui cum in Philosophicis & Theologicis fere sine pari excellere à doctissimis existimetur, ipse interim quamuis modestissimus, re, & opere omnium qui viuunt gloriam obscuraturus, vel omninò extincturus videtur*, &c. Ecce quæ iam tum fuerint (editus est ille Schoppij liber anno D. CIↃ IↃ IIIC.) doctorum de Casaubono iudicia, eum ferè sine pari excelluisse in Philosophicis, & Theologicis. Nimium iam velim videre os illud impudens, quod pro excellenti Philosopho, & Theologo purum putum Gramma-

G.S. de Criticis & Philologis veteribus & recentioribus.

maticum nobis ſubſtituit, & *qui nihil vltra Diomedem & Priſcianum ſapiat.* Sed operæ eſt hæc aliquanto perſequi fuſius & accuratius: vtiq; de ſtudijs in Theologia, quò certius hanc quaſi calumniarum ſegetem, aut communem locum malignis aduerſarijs in poſterum eripiamus. Si Theologia ſit illa ſcientia nominanda, quæ Sacrorum Bibliorum aſſiduo vſu, piorum & antiquorum Patrum diligenti lectione & hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſtudio ſolet acquiri, Patrem fuiſſe à primo ætatis tempore Theologiæ ſtudioſiſſimũ & deditiſſimum aſſeueranter affirmamus. An. Dom. ɔɔ Iɔ LXXXIII. ætatis XXIIII. cum Arnaldo Caſaubono Patri ſuo Notas in Diogenem Laertium offerret, & de ſuis incæptis ad rem literariam promouendam multa iuuenili more narraret: reſpondit ille, Laudare ſe quidem propoſitum eius, ἡ πρὸς τὰ μαθήματα ὁρμὴ: cæterorum pluris ſe vel vnicam obſeruationem facturum ad libros Sacros pertinentem, quàm illa omnia, quorum ſpem fecerat. Hæſit animo penitus infixa viri optimi vox illa, ſemperq; ex illo tempore τὰ θεῖα μανίᾳ, eſt coluus. Hæc ipſum narrantem ſæpe audiui, & poſtea in literis ipſius ad amicos reperi. Pan-

cis

cis post annis incidit in languorem, de quo ipse sic scribit ad amicum.

Ego parente orbatus, deiectus sive redeundi in Galliã, in languorem incidi: quo vt me liberarem Iuris studia penitus reliqui, & repentino quodam impetu omnes libros Iurisconsultorum Barbarorum, quibus multum insudaueram, mutaui libris Theologicis. Factum hoc ante annos XXVIII. *quo ex tempore nulla mihi syncera voluptas, nisi in lectione Scripturarum, aut piorum Patrum, quos venerari didici vsu ipso, & assidua tractatione: quantum quidem alia studia mihi permittebant.* Edidit admodum iuuenis Notas in Noui Fœderis priorem partem, quæ etiamsi paucæ sint, probando tamen eius studio in Theologicis abunde sufficiunt. Scribens ad V. C. Iacobum Bongarsium An. D. ɔlɔ Iɔ XCVI. post quædam de suis inceptis, hæc addidit. *Institueram diebus hisce librum vnum Obseruationum nostrarum in Sacros & Ecclesiasticos scriptores ac Patres edere: Posthea continuo me: & opinor sat citò, si sat benè.* Anno Domini ɔlɔ Iɔ XCVII. ad Pastores Ecclesiarum *Sal.* congregatos hanc misit Epistolam.

Fi-

Fideliſſimis, & ſummè obſeruandis Paſtoribus Synodi *Sal.... Is.Caſaubonus* ſalutem à Deo precatur.

Si voluntati meæ valetudo reſpondiſſet, Patres obſeruandi, non mihi nunc literis vobiſcum agendum foret. Conſtitueram enim venire iſtuc, & veſtrum conſeſſum præſens affari, ac ſalutare. Nam poſtea quam ita Deo Opt. Max. viſum, vt Geneuam patriam dulciſſimam, & Geneuenſes Paſtores ac Profeſſores collegas mei amantiſſimos, æternùm mihi colendos relinquerem, & in hanc prouinciam venirem: in votis hoc mihi ſemper vnicè fuit, vt veſtram omnium amicitiam omni ope & opera mihi conciliarem. Videbar autem commodè id facturus, ſi hoc tempore iſtuc me transferrem. Nunc igitur quando per valetudinem optatis adeo voti compos fieri non poſſum: officij mei eſſe duxi, has ad vos ſcribere, meæ aduerſus vniuerſum ordinem veſtrum, & priuatim erga vnumquemq; ſummæ obſeruantiæ & beneuolentiæ teſtes. Cuius animi cum mihi conſcius ipſe ſim, facilè venio in eam ſpem, fore neminem è vobis, qui in ſuam amicitiam me non recipiat, aut parum illa dignum iudicet. Atq; vt ſciatis ex animo loqui me, neq; vt ait Poeta, ἕτερα μὲν κεύθων ἐν

ρησὶν ἄλλο ἢ βέλτιον, en me totum in vestra potestate. Videte quaeso, & vobiscum considerate, ecquid in re operâ meâ publicè Ecclesiæ Dei, cuius administratio vobis commissa est, utilis esse poterit: ego me spondeo, sanctèq; recipio vestris consilijs obtemperaturum, & pro virili effecturum, vt voluntati vestræ per me satisfiat. Equidem ita sum à natura comparatus, ita ab optimo parente olim institutus, vt studiorum & vigiliarum mearum nullum vnquam alium finem mihi proposuerim, nullam aliam mercedem aut speraverim aut optaverim, quam vt illarum fructus ad συναγωγὴν Matrem Ecclesiam rediret. Nouit ὁ καρδιογνώστης Deus hac re nihil mihi jucundius, nihil gratius, dum adhuc terras colam, posse contingere. Sed & D. Bernardinus quicum mihi summa familiaritas intercedit, animum meum penitus notum perspectumq; habet. Is, si opera est, plura de nobis & egregia nostra voluntate erga Sacræ Theologiæ studiosos commemorabit. Verum de nobis nimium multa. simul vereri subit, ne si longiore epistola vos tenuero, in publica commoda peccare videri possim. Vnicum est, quod si adiecero finem faciam. Nam cum Genevâ nuper discederem, mandatum mihi est à venerandis Pastoribus, &

Pro-

Profeſſoribus, ſi qua ſe offerret occaſio, vos omnes ipſorum verbis quàm officiociſſime & amantiſſime ſalutarem. Rogabant ijdem obnixe, vt in aſſiduis veſtris ad Dominum precibus, Geneuenſem Eccleſiam omni nunc cummaximè ope humana nudatam, iuuaretis. Accepi etiam poſtea non vnas à magno & venerando ſene Theodoro Bezâ literas, quibus omnibus hoc ipſum à cunctis vobis, & ſuo, & Eccleſiæ nomine petit, & ſummo contendit opere. Valete Viri plurimum colendi, & res Eccleſiæ vñ τῆ θεῶ feliciter gerite. Scripſi Momp. languente manu, Pridie Nonas Maias. CIↃ IↃ XCVII.

Hoc tempore cum Monſpelio crebrò ad Bezam ſcriberet qui Geneuæ erat, non aliæ ferè erant literæ, quàm de rebus Sacris & Theologicis. Nam aut notas ſuas in aliquot S. Scripturæ locos illi communicabat, aut ſuper alijs eum conſulebat, aut deniq; ad quæſita Viri venerandi reſpondebat. An. CIↃ IↃ CVII. hunc in modum ſcripſit ad eum Synodus Nationalis Rupellæ coacta:

Monſieur, Nous ſommes en vn temps auquel Satan faict ſes efforts plus violens pour eſtançonner ſon regne de tenebres, & vſe de ſes plus ſubtils artifices pour em-

peſcher le cours de la verité en toutes ſortes. Autrefois il a eu beau ieu durant l'obſcurité & ignorance des ſiecles precedens : A ceſte heure qu'il veoid vne lumiere plus grande, il taſche de l'oſcurcir par les fumées d'vne pretendue ſcience, laquelle ſe vendiguent pluſieurs de ſes ſuppots ſans aucune conſcience, n'eſpargnans leur labeurs & leurs peines pour brouiller s'il pouuoient noſtre droict, & perſuader au monde que nous ſommes mal fondes pour le faict. Pluſieurs doctes perſonnages ſe ſont diligemment employés a conuaincre nos contrediſans en l'vn & en l'autre poinct. Nous nous perſuadons que Dieu vous ayant comblé de rares graces, leſquelles ont deſſa paru par tout le monde es œuures que vous auez publiées, vous n'aurez pas oublié d'employer ces grands dons plus particulierement a la gloire de celui duquel vous les auez receuez, & tenons pour certain, que vous ne pouuez auoir veu tant de faulſetéz parſemées es Annales fabuleuſes du Cardinal Baronius, ſans auoir trace bon nombre des moyens de faulx, pour ſecourir ceux qui n'ont le loiſir, le moyen, ou la capacité de ſe d'eſueloper d'vn tel labyrinthe, & reprimer l'inſolence & impudence de ceux, qui ont loüe leur langues & leurs

plumes,

plumes, & ſe ſont venduz pour faire ce qui eſt deſplaiſant a l'Eternel, & defient les armees d'Iſrael auec vne audace plus grande, que celle de Goliath. Or combien que nous nous perſuadions fort de voſtre zele, que nous attendions tout des promeſſes que vous fiſtes a vne telle aſſemblee que celle-ci au Synode de Gergeau: toutefois nous auons creu que vous prendres plaiſir d'eſtre aiquillone a ce bon œuure par cette compagnie, & que le iugemẽt qu'elle faict de vous a bon droict, vous accroiſtra encore le courage & le vouloir, de produire en peu de temps ce qui eſt attendu de ſi long temps, ce que vous deuez a Dieu qui vous a donne la pouuoir, ce que ne pouuez deſnier a l'Egliſe en laquelle vous eſtes nẽ, a laquelle vous vous eſtes conſacre; ce que tous les membres d'icelle deſirent de vous, ce que nous qu'il a pleu a Dieu appeller pour en eſtre conducteurs en eſperons: Prians l'Auteur de toute bonne donnation qu'il vous accroiſſe ſes graces pour cet effect, & vous doint de faire abondament proffiter a ſon honneur le talent qu'il vous a commis, pour luy en rendre bon compte au iour auquel il en exigera l'vſure. Nous ne doubtons point, que deſirant l'approbation de ce maiſtre ſur toutes choſes, vous ne

ſoyes auſsi eſmeu par l'exhortation qui vous eſt faitte par nous, & l'obligation que vous acquerez ſur toutes les Egliſes, & nommement ſur,

Vos humbles & affectiones freres a vous faire ſervice, les Paſteurs, & Anciens des Egliſes reformees du Royaume de France, aſſemblez en Synode National a la Rochelle.

Du xij. Apuril, 1607.

Domine Caſaubone, erumpunt in hæc noſtra tempora maximi Satanæ conatus ad ſtabiliendum regnum ſuum tenebrarum, & nunc cummaxime callidiſſimas ſuas artes adhibet ad vim veritatis inhibendam. Quondam perfacile id illi fuit propter temporum tenebras & ignorantiam. Nunc cùm videat maiorem lucem, conatur illi tenebras τῆς ἱεροσυλίας γνόφους obducere, quam venditant plerique eius ſatellites, homines ſine conſcientia, qui nulli labori parcunt aut operæ, quo omnibus perſuadeant noſtram cauſſam neq; iure niti, nec exemplo. Iam multi viri docti ſedulam nauarunt operam in aduerſarijs

ab

ab vtraque parte refutandis. Te verò, in quem Deus tot dotes vniuerſo orbi ex ſcriptis tuis cognitas cumulauerit, earum omnium vſum & fructum ad authorem præcipuè referre credimus: nec dubitamus quin legens tot ſparſa in fabuloſis illis Annalibus Cardinalis Baronij mendacia, magnàm partem illa falſi conuiceris, ad eorum opem & vtilitatem, quibus per otium, doctrinam, aut ingenium ex illo labyrintho non patet exitus, & ad reprimendum illorum faſtum pari impudentiâ iunctum, qui linguam ſuam & ſtylum locarunt, ſeq; adeo ipſos manciparunt ad id faciendum, *quod malum eſſet in conſpectu Domini*, & iam copias Iſraelis maiori q̃ olim Goliath, audacia, ad certamen prouocant. Cęterũ quamuis omnia nobis de tuo zelo promittamus, omnia nobis de tuis promiſſis in tali confeſſu apud Gergeacenſes editis ſpondeamus, te tamen ad opus tam laudabile ſtimulari gratum tibi fore ſumus arbitrati, iudiciumq; huius de te conuentus meritis tuis debitum tibi animum alacritatemq; additurum, vt id breui præſtes, quod iam pridem à te expectatur. Id Deo qui tibi vires dedit, debes, neque Eccleſiæ in quâ natus, & cui conſe-

cratus, negare potes, quod expetunt ſingula eius membra, noſq; inprimis, quibus à Deo commiſſa eſt illius adminiſtratio, ſperamus. Deum omnis bonæ donationis authorem comprecamur, vt ad hunc finem ſua in tẽ dona multiplicet, detq; talentum, quod tibi cõmiſit, ita multiplicare, vt repetenti, vſuræ rationem queas reddere. Non dubitamus quin tu ante omnia cupidus tali Domino approbari, magni quoque ſis facturus noſtrâ adhortatione te impelli, & omnes tibi Eccleſias tuo beneficio demereri, nominatim vero

Humillimos & tibi deuotiſſimos fratres, Paſtores, & Presbyteros Eccleſiarum Reformatarum in Galliâ, in Synodo Nationali congregatorũ Rupellæ.

Clarum eſt ex his literis iam diu ante quam ſcriptæ ſunt, receptam à Patre Annalium Cardinalis Bar. confutationem. Per eum autem non ſtetit quin fidem mature liberaret. Sed cum id vt ſibi liceret à Rege non poſſet impetrare, coactus eſt à propoſito deſiſtere. Hæc ſunt ipſius verba

ex

ex epiſt. ad V. C. Iohannem Prideaux data 1613. *Sunt anni 10. cum ego veniam petij ab Henrico Magno meo indulgentiſſimo Mecænate vt liceret mihi modeſtè Baronij mendacia refellere. Reſponſum tuli ab ore ſacro illo, Nondum tempus aduenisſe.* An. 1606. (niſi ſit illa prima editio quæ prodijt Hanouiæ 1607) primus publicauit, & Latinè vertit, notiſq; illuſtrauit ſatis vberibus prolixam Gregorij Nyſſeni epiſtolam ad Euſtathiam, Ambroſiam & Baſiliſſam. Hac opellà ſic defunctus eſt, nihil vt in illa queat deſiderari, quod ab eo potuit qui fuerit in Patribus & alijs Eccleſiaſticis Scriptoribus verſatiſſimus, expectari. Scripſit & Notas in Gregorij Thaumaturgi orationem de Origine, quas adhuc nanſciſci mihi non contigit. Eodem ferè tempore ſcripſit librum ſingularem de Libertate Eccleſiaſtica, contra vſurpatam à Papa poteſtatem, atque Clericorum exemptiones & immunitates. Totus ille liber eam præfert Antiquitatis & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ peritiam, quam malo ab alijs quàm à me prædicari. Hæc igitur de prima ſeu ſpecie, ſeu parte Theologiæ. Quod attinet ad Polemicam Theologiam, eam quæ de hodiernis modo controuerſijs agit,

agit, totaq; neotericorum ſcriptis continetur, fateor eius illum adeo nunquam cupidum fuiſſe, vt putaret illi tempus, quod alia ſtudia, quæ profitebatur, ſibi vindicabant, impendendum. Quod illi tamen non parum temporis impenderit, neceſſitati quàm iudicio magis imputandum. Qui enim Lutetiæ creberrimos de Religione congreſſus ac conflictus fugere non poterat, coactus eſt ijs ſeſe armis inſtruere, quæ ad hanc pugnam pugnandam erant neceſſaria. Reſtat illa διαλεκτικὴ ſiue Scholaſtica, vti vocant, Theologia. Hæc verò qualiſcunq; ſit, ſi neque Dei verbo comprehenditur, & à veterib' omnib' ignorata eſt, per me fuerit illius ignarus Pater, voſq; ſemel viceritis Aduerſarij. Quod erat in Religione ſerium ac ſolidum, optimè ſciuit, vnde ſibi petendum eſſet: λεπτολογίας, & περιεργίας nimia plerunq; curioſitate non minus prophanas impiaſque, quàm putidas & ineptas, omnes denique λογομαχίας, quas otium peperit, & meliorum literarum penuria (quæ fuit illorum ſæculorum miſeria,) non minori ſtudio ſemper auerſatus eſt, quam alia vtilia ac profutura conſectatus. Neq; tamen vniuerſam illam ſcientiam damnauit, aut re-

reijciendam putauit vt vanam prorſus, & inutilem, qui aliquot in eā præcipuos non ſpreuerit, Thomam etiam illum Aquinatem in pretio habuerit. Cogit me aduerſariorum malignitas, vt hæc omnia perſequar, qui illi ſuam in his ignorantiam tam impotenter & inſolenter exprobrāt. Nam alioquin quod crimen, ſi vnus homo non omnia ſit aſſecutus? hoc eſt, humanam ſortem prætergreſſus? Quid in alijs literis præſtiterit Pater, docti omnes norūnt & agnoſcunt æquiores: Theologi vero nomen nunquam ſibi arrogauit, Theologiam nullam attigit, (præterquam obiter aliquando) niſi quam ex lectione Patrum & aliorum antiquorum ſcriptorum didicerat: quæ ſola erat illi neceſſaria ad opus ſuſceptum contra Baronium; quod, quàm non ſubito, aut temerario impetu ſuſceperit, conſtans ac firmus per tot annos animus in illo propoſito ſatis oſtendit. Quando autem primum de illo cogitārit, declarant ea, quæ iam ſunt à nobis allata: ex quibus etiam reuincitur impudentiſſimū quorundam mendaciū, qui fingunt eum ad Regis Sereniſſimi gratiā ſcripſiſſe contra Baronium reluctante conſcientia, aut etiam invitum ab eo coactum eſſe. Reuincitur

citur & illa calumnia, eum ſcripſiſſe mortuo Baronio, quia viuo illo nunquam erat auſus. quod quidem eſt putidiſſimum: non enim priuata lis erat: communem autem cauſſam qui ſuſciperent, haud vnquam defuturos non ignorabat. niſi forte ſolus Baronius fuerit, qui iure metuendus erat. ſed demus ipſis affabre confictum mendacium, modo de mendacio conſtet. Immo vero non cupijt tantum Pater, & vt eſſet ſibi liberum Regi Chriſtianiſſimo ſupplicauit, ſed reipſa ſcripſit contra Bar. viuo adhuc Baronio. Baronius obijt Anno D. 1607. eodem anno liber Patris edebatur de Libertate Eccleſ. quo vnus omnium creberrime reprehenditur Baronius, varij Annalium loci caſtigantur, fraudes deteguntur, atque adeo ex profeſſo toto cap. X. cuius hæc eſt ſumma & argumentum, *Cardinalem Baronium ſtudio huius libertatis Eccleſiaſticæ ſtabilienda multa ſcripſiſſe quæ veritati ſint contraria. Eius Paraneſis confutatur, Annales notantur.* Quod autem liber authorem ſuum non indicauerit, neque locum vbi ſit excuſus, non id fallendi deſiderio ab eo factum eſt, ſed quia editionis conſilium id neceſſario poſtulabat: quæ tamen abrupta eſt, cum iam 264. pag.

editæ

editæ eſſent, è XI. nondum III. capitibus abſolutis. Vrbe enim plena τῶν Πανσμιάτων, tam ſecreto res agi non potuit, vt ad plurimorum conſcientiam non emanaret, à quibus Papa monitus, cum Rege Galliarum per ipſius legatum egit, vt libri illius editionem prohiberet. Quo iam iure adeo acerbe in Patrem inveharis Heriberte Roſwede, quod eius in Baronium Exercitationes prodierint, quum ille non eſſet, & eo nomine quam merito cum Scorpio compares, fero vel te iudicem, ſi iudicis æqui perſonam poſſis ad aliquod tempus induere. Atque hæc ſint dicta ad repellendas illas aduerſariorum calumnias, Caſaubonum in Anglia primum Theologiam didiciſſe, Caſ. repente Theologum prodijſſe, Theologiam non niſi ex Suetonio, & Athenæo hauſiſſe, & alia id genus, in quibus ita ſibi placuerunt, vt nullo non loco occurrant. Cætera quamuis ſint minoris momenti, non tamen omnino contemnemus. Aiunt ipſum Philoſophiæ, & Logicæ nunquam ſtuduiſſe, & vt colorem aliquem dicant, torquent interdum aliquot loca ex ipſis eius ſcriptis, & ſtrenuè cauillantur. Non eſt huius loci, vt in ipſorum locorum examinatione operam ponamus:

namus: alioquin nullo alio responso opus esset. Nunc in vniversum respondemus, Germanæ, & incorruptæ Philosophiæ neminem eo fuisse amantiorem, paucos in ea plus olei consumpsisse, qui illam ἀρχιτεκτονικὴν suum τέλος κατ' Ἀριστοτέλην, non fecerint. Tres ipsos annos vsus est præceptore Pacio V. C. in Iuris & Philosophiæ studijs, à quo etiam excepit ingentem in Aristotelis Organon Commentarium, qui postea est editus: cum adhuc seruo in Gallia manu Patris scriptum. Postea versando omne genus antiquorum Philosophorum monumenta, inquirendo in difficilia, excerpendo insigniora, comparando & expendendo diuersorum rationes ac sententias, haud paulo plus illis in verâ sapientiâ profecit, qui ætatem impendunt Barbarorum nescio quorum Sophistarum lectioni, & rixis futilissimis, & inanissimis. Est sane genus hominum, qui inuentis frugibus, glandibus vesci malunt, qui in hâc luce & fœlici πολυλογίᾳ literarum spinis & laqueis delectantur ineptissimarum argutiarum, quas tenebrarum & ignorantiæ tempora pepererunt: qui si aliquot annorum studio & labore possint assequi, vt ἀκριβῶς οἶδε μικρῶν ἰρίζειν, & subtilibus

libus præſtigijs candida de nigris καὶ ψεύδεα ἐτύμοισιν ὁμοῖα valeant efficere, io pæan! clamant, quantumq; fuit vnquam aut eſt ſapientum extra ſuam ſectam, magno faſtu contemnunt. Solis cor datum, ſoli ſapiunt, noui in terris Tireſiæ, qualem celebrat Homerus inter mortuos vnicum: τοὶ δ', σκιαὶ ἀΐσσουσιν. In literis humanioribus, niſi quantum ipſi intelligunt, irrident omnia tanquam vana & inania; & cum de omnibus vniuerſim linguis, & earum ſtudioſis peſſimè ſentiant, Græcam immortali odio proſequuntur, adeo vt in illa ſcire aliquid præter cæteros ſit ingens crimen, & ipſa quaſi confeſſio ſtuporis & ſtultitiæ. At quæ tandem eſt illorum ſcientia? An in rerum cauſſis indagandis, effectibus explicandis, in ijs denique, quæ vel ad naturam, vel ad humanas actiones pertinent, occupatur? minime gentium. Ars eorum tota verſatur in meris notionibus, figmentis, ac chimæris intellectus, in λόγων συνθεσμοῖς, & neſcio quibus alijs, quorum omnium nullus eſt vſus, nulla ad vllam vitam eſt vtilitas, & quæ, vt Senecæ verbis vtar, *nec ignoranti nocent nec ſcientem iuuant.* Per hos ſane non ſtabit, quin Barbaries, cui ipſi ortum debent, breui poſtliminio

minio redeat. Sapiunt herclè : qui ſoli tunc regnarent, ad clauum ſoli Reipub. literariæ ſederent, quo iure deiectos ſe vident, poſtquam malo fato nouus literarũ & eruditionis ſol orbi affulſit. Horum vt ſententiam non probauit Pater, ita nec exemplum eſt ſecutus, deditq; ſemper operam quantam maximam potuit, vt *verus & rebus, non artificijs eſſet Philoſophus*, qualem probat ſummus philoſophus Seneca. Quantum profecerit in hoc ſtudio, vt ipſe, quàm multi ſcirent, non laborauit, ita fruſtra ſperabunt adverſarij ſe poſſe evincere, illum non multum eſſe aſſecutum. Vnicum adhuc ſupereſt non omittendum, de peritiâ eius in linguâ Hebraica, de qua ſic Bulingerus, *Te vero docti aiunt Hebraica verba ſcriptis admiſcere non debuiſſe, quorum te plane rudem quotidie clamitant, oſtenduntq; Iudæum illum tibi impoſuiſſe, quem in Angliâ Doctorem aſciueras.* Laudo modeſtiam, Bulingere, quod cæcus nolis de coloribus iudicare, exemplo inſani illius Cretenſis, qui Caſaubonum Græcæ linguæ ignarum fuiſſe demonſtraturum ſe ſpondet, quam iuxta vir doctiſſimus intelligit cum Perſicâ, aut Hebraicâ. Sed quinam, quæſo,

ſunt

sunt illi docti, quos ais id ferre de Casaubono iudicium? Profecto fuerunt illi, aut non idonei iudices, aut zelo illo, qui vos omnes agitat, corrupti. Quid enim omnia quæ edidit annos prius viginti, quàm illas Exercitationes scriberet, nonne palam reclamant? quid in Hebraicâ literaturâ reconditum, quid in Rabbinis abditum, quod non ille in scriptis suis pro re natâ promserit, & fœliciſſimè illustrarit? Scito autem, Bulingere, illum maturè ad illas literas animum applicuisse, & adhuc iuvenem Rabbinorum sacris initiatum à Petro Ceuallerio: à quo tamen non tantum didicit, quantum optabat, propter viri illius optimi, & doctissimi immaturam mortem. Non contentus autem Hebraica, & illius propinquioribus Dialectis Chaldaica, & Syriaca, in Arabicæ etiam studio multum olei & operæ insumpsit. Ego ea seruo laboris eius indefessi, & incredibilis industriæ in harum linguarum studio monumenta, quæ puto neminem visurum sine quodam ex admiratione stupore, qui alias eius occupationes nouerit. Habeo quoq; plures præstantissimorum ad ipsum virorum, & ipsius ad illos & alios epistolas Hebraicas, quæ

quantam eius linguæ facultatem, vſumq; habuerit vel ſolæ queant teſtari. Quæ addit autem Bulingerus de Iudæo accito, ſic habent. Octo ab hinc plus minus annis iter ad illuſtrem Acad. Oxon. habuit Pater. ibi reperijt quendam Iudæum, hominem in literis Iudaicis, & Thalmudicis ſingulari doctrina præditum, aliarum etiam linguarum non ignarum. Amplexus raram hanc in illo eruditionem, & ipſi cupiens, Londinum rediens adduxit ſecum, & apud ſe domi menſem & amplius retinuit. Interim Pater eum per occaſiones proceribus quibuſdam Eccleſiæ, ipſique adeo Regi Sereniſſ. commendauit. Iudæus expertus non infœlicem, aut irritam profectionem, Oxonium reverſus eſt. Quamdiu vna cum Patre fuit, poſſum ego teſtari rariſſimè eos eſſe collocutos, niſi inter epulas, non quidem quod non multa Pater ab eo ſe doceri cuperet, ſed quia alijs tum neceſſarijs occupationibus diſtinebatur: ſuas autem Exercitationes antequam Oxonium iret iam pene ad vmbilicum perduxerat, & amicis nonnullis legendas dederat: Statim autem à reditu typographo eas tradidit. Hinc tamen illa fabula. Et memini ſane eo tempore Patrem

trem Iacobo Wedderburno, viro probiſſimo & doctiſſimo, tunc præceptori meo, nunc Andræapoli S. Theologiæ Profeſſori, dicere, Adverſarios, ſi audirent ſe domi Iudæum habere, illos ipſos rumores, quos Bulingerus affert diſſeminaturos. Quam fuerit verus vates, exitus nunc oſtendit: ſed commenti vanitas apparet. Hactenus pro Patris eruditione contra fabulas & calumnias, quibus de illa detrahebant aduerſarij: nunc reliquum mihi puto, vt duobus eum purgem criminibus, quæ ad infamandam eius eruditionem falſo illi impingit Heribertus Roſweydus. Quoniam autem vtriuſq; teſtimonium affert, tantùm pauca quædam exempla, ſunt illa hic neceſſario nobis expendenda. Primum crimen quod illi impingit, eſt Plagium: id autem ob hanc rationem. Pater hæc ſcripſit in Exercitat. *De Antigonis Regis Iudæorum ſupplicio loquens Baronius, errorem errat multis etiam doctiſſimis viris communem. Putat eſſe diſſenſionem in illa narratione inter Ioſephum, & Dionem, & durius ſupplicium eſſe, quod Dioni deſcribitur; cui potius ſe aſſentiri Baronius oſtendit. Sed falſa hæc ſententia, nata ex vnius voculæ* παρὰ *praua interpre-* Exer. 1. c. 7. p. 5.

tatione: Author eſt Ioſephus è Strabone, cuius locum affert, initio lib. XV. Antonium πλεῖσθαι *Antigonum Regem Iudæorum captuum, hoc eſt, ſecuri percuſſiſſe. Dio. lib. XLIX. ſcenam eius ſupplicij pluribus explicans,* Ἀντίγονον, ait, ἡμιτέλεστον σταυρῷ προσδήσας, ὃ μηδεὶς ἄλλος Βασιλεὺς ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων ὑπομεῖναι, ἢ μετὰ ταῦτα ἢ πρόσθεξε. *Magno errore interpretes verterent, cruci alligatum. quæ mala verſio Baronio fuit fraudi. Vertendum erat, palo alligatum, vel, ad palum deligatum, vt ſæpe Liuius: nam* σταυρὸς *vt toties obſeruat Euſtathius, eſt* σχίζη, ἤτοι ξύλον, *palus, lignum erectum, vnde* ἀνασταυροῦν *apud Hiſtoricos paſſim, palis cingere, vallos in circuitu figere, &c.*

Quid hic quæſo (inquit Roſwedus) obſeruas Caſaubone, quod non ante Lipſius doctè & copioſe executus ſit? Omitto de voce σταυρὸς, cuius vſum varium apud Lipſium habes, ex Euſtathio, & Heſychio deductum lib. I. de Cruce cap. IV. Tantum hic dabo Lipſij verba de ſupplicio Antigoni, vt non verbo tantum Plagij dicaris accuſatus, ſed re ipſa plagiarium te eſſe totus orbis agnoſcat. Ita igitur Lipſius, &c. *An ergo huc referas Dionis illud lib.* XLIX. *de Antonij ſæuitia in Iudæa Regem*

gem Antigonum? τὸν δὲ Ἀντίγονον, &c. *Antigonum flagellauit cruci, siue furcæ alligans, &c. Verba ita præferre videntur: nec abhorreat ab Antonij impotentia, vt seruiliter sæuiret in Regem. Tamen verius puto, vt capias vertasq. (Palum) vt palo, inquam alligatus fuerit solenni Romanis more, & tum securi percussus. Quod ipsum huic Antigono factum, etsi Dio non expressit, notauit Strabo citante Iosepho (nam hodie non exstat) lib. XVI. Antiquitatum cap. I.* Ἀντώνιος ἀπὸ, &c. *Idem Plutarchus in Antonio.* Comparetur iam hæc Lipsiana notatio, cum citatâ Casauboni Exercitatione, & statim apparebit ex cuius poculo biberit Casaubonus. si quis in eo candor (quem tamen præ se ferre vult) si quæ gratitudo fuisset, meminisset hospitis sui, apud quem non tantum lautè fuerat epulatus, sed apophoreta quoque domum retulerat.

En Achilleum argumentum! Quia notat Casaubonus non laudato Lipsio vertendum Dionis σταυρὸν *Palum* non *Crucem*, quod olim Lipsius obseruârat, ideo Casaubonus est plagiarius. sed per Deum immortalem, quis liber erit ab hoc crimine, si sic sufficiat accusasse? Sexcenta talia

proferrem exempla, ſi auderem tantum mihi de lectoris patientiâ promittere. Non verebor dicere, vix vllum mihi poſſe dari librum, cuius authorem hâc ratione non conuincam plagij. Rem vero miram, & prodigioſam! ſi duo viri docti in eadē veritate caſu aliquando conſentiant. Annon meritus eſt Caſaubonus, vt vnam voculam Græcam credatur potuiſſe ſine ope alterius explicare? Sed iam vt te *totus orbis agnoſcat*, Roſwede, hominem ad quamvis calumniam impudentiâ proiectiſſimâ, adſcribam verba Petri Fabri V. C. ex Semeſtrium lib 10. cap. 10. quæ cum multis annis ante illa Lipſij ſcripſerit eadem planè mente, & ſententiâ: neceſſe eſt, aut tuum quoq; Lipſium plagij poſtules, aut te ſycophantam merum, & legi Remniæ obnoxium fatearis. Hæc igitur Faber eo quem dixi loco, qui eſt editionis Lugdunenſis anni ↀↃ IↃ XCII pag. 107.

Dio lib 48. Antigonū Iudææ Regem, cui ſucceſſor Herodes dat° eſt ab Antonio ita punitum refert, *vt palo alligatus flagris cæderetur, atq; obtruncaretur*: τὸν δ' Ἀντίγονον (ait) ἐμαστίγωσαν πρῶτον πρὸς κόνωνα &c. vbi malo κόνωνα *palum* quam (quod interpres facit) *Crucem* exponere: vt ἀποκόψειν, *obtruncare*

potiur

potius quam *jugulare*: quoniam Antigonum ſecuri percuſſum fuiſſe Plutarchus in Antigono tradit his verbis, quæ cum illis omnino congruunt. *Πολλὰς δ' ἀφορμὰς ἔσχε βασιλέως εἰς Ἀντίγονον τὸν Ἰουδαίων καὶ μεγαλωστὶ ἐπιβλέπειν, ἀδελφὸς πρότερον ὄντι βασιλέως τοῦ κολακεύσαντος.*

Cōparetur iam hæc Fabri notatio cum Lipſianâ, ſtatimq; apparebit in Patrem nihil ab aduerſario dictum, quod in Lipſium nequeat pari iure retorqueri. Quod autem dicis, Roſwede, de Lipſianâ querelâ, ſi tibi nolim credere, mihi, vt ſpero, vitio non vertetur, qui malam tuam fidem iam ſæpe deprehenderim. Teſtes tuos præter vnum nullos audio: ille quem nominas, is eſt, opinor, cuius exſtat de Polymathia tractatio. Audi quid de ea dicat è veſtris caſtris vir eruditiſſimus. *Opus eſſet peculiari tractatione, quam forte cum dijs fauentibus volentibuſq;, ſi res noſtræ nobis otium fecerint, & Deus vitam dederit, aliquando inſtituturi ſumus, quando vir ille inter eruditos præcipuus, qui eam nobis pollicitus erat, morte præuentus perficere non potuit. De Iſ. Caſaubono loquor, in cuius meſſem falcem injecit Iohannes à Woner, vir certe ingenij non vulgarij, ſed qui opus imperfectum reliquit, quamuis omne*

quod edidit, à Casaubono habuit, dum vna agebat Monspelij. Si legisses, Roswede, pulcherrimam Lipsij cum magno, & amico viro (sic ipse loquitur) velitationem, à quo fuerat huius ipsius criminis insimulatus, abstinuisses ni fallor, ab hac ineptâ & absurdâ calumnia. Omnino malè meritus es de tuo amico, & ipse sine dubio hãc tecũ, si iam posset, iniuriam expostularet, qui id illum velis admisisse, cuius alium reum adeo graviter increpauit. Vide, pruritus & libido calumniandi quid faciat! Pari ratione, qui præfatus est Cardinalis Perronij libro Gallico de Eucharistia, Patri exprobrat, multa illum quæ à Cardinali primum didicerat suis Exercitationibus inseruisse. Bene est, saltem quædam adversariorum confessione in illis Exercitationibus esse, Card. Perronio non indigna. Sed ad rem ipsam quod attinet, cui non statim paulo intelligentiori de vanitate, ac cõmento suboleat? quod si semper habenda fides accusatoribus, ipse Cardinalis plagiarius fuerit, aut etiam nescio quid peius. Quid enim sibi volunt illa Bulingeri Annalium, lib. X. p. 326. *Altero post anno in villa fontis Bellai, mandato, ne falsa pro veris obtruderentur, sele-*

celeberrimo doctorum hominum conuentu, lectiſſimis totius Gallia viris arbitris, inter Perronium Epiſcopũ Ebroicenſem & Mornaum ſolemnis diſputatio apud Regem inſtituta eſt, vbi verba Patrum, quæ edito libro ſuperiori anno falſi notaueram, libris in conſpectu poſitis & diligenter expenſis, falſi conuicta ſunt. mox, *Quæ victoria vt fidei Catholicæ in Gallia munimento fuit, ita Perronio tum Epiſcopo Romæ ad purpuram eualuit, mei, à quo ante alios corruptæ indicatæ erant, quia inter literas abditus latebam nulla ratio habita eſt, quod iauream authori debitam, alij quibus maior ambitus fuit præripuiſſent. Oportuit me ſemel his Annalibus iuſtum dolorem exoneraſſe*, &c.

Res eſſet certe iniquiſſima, ſi ab vnius alicuius fide bonorum exiſtimatio penderet. Sed non pendet (Deo laus & gratia:) bonos & doctos ſua fama, & alia ſcripta à tali ſuſpicione tutantur. alij autem vix poſſunt ſua furta tam bene diſſimulare, vt ipſi ſeſe non prodant. aliter enim catuli longe olent, aliter ſues.

Secundum crimen, ſeu vitium potius quod Patri Roſwedus obijcit, eſt nepta quædam oſtentatio doctrinæ, quo qui eſt

pre-

prædit' dum quærit omnes occasiones effundendi quicquid nouerit, & vel obtorto collo trahit ad propositum, in magnas scilicet nugas & ineptias solet delabi, & magis abuti sua qualicunq; eruditione, quam fructus eâ dignos edere. Roswedus igitur, vt Patris eruditionem quoquo modo traduceret, & vocaret in invidiam, hoc illum vitio laborasse criminatur, & affert exempla quædam, quæ nunc paucis examinabimus. Pontificij ad asserendam Papæ Monarchiam hoc potissimum vtuntur S. Scripturæ loco: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, vti ostenditur, Exercit. cap. XV. Pater ad demonstrandum contrarium, hæc nempe verba, potentiam illam non statuere aut stabilire, duplicem init viam. Primum probat cap. XII. illa verba à veteribus Patribus varie accepta fuisse, neque vllam priscis temporibus extitisse necessitatem de Petro illa exponendi, potius quàm de Christo, aut de confessione fidei, aut etiam de vnoquoq; fidelium. Secundo, etiamsi hæc verba de Petro accipiantur, tamen ad ad Pontificij hodiernam Monarchiam nihil facere: quod probat, primum authoritate illorum Patrum, qui de Petro sunt in-

interpretati cap. XIV. ſecundo ex vſu ipſo, & perpetua acceptione ipſarum vocum, è quibus ille ſenſus quem volunt non poteſt elici, cap. XIII. Cum igitur conſtet verbum (Petra) eſſe hic Metaphoricum, docturum ſe ſpondet initio cap. *Quoties Metaphorice vſurpatur vel in Scripturis, vel apud Patres, aut alios etiam authores, referri ſemper ad aliquam petræ inhærentem proprietatem, nunquam autem dominationem, aut imperium denotare.* Quis hic non expectet vt omnes ἅπαξ (Petra) Metaphoras, & proprias vocis illius notiones è quibus illæ Metaphoræ ſunt ductæ, accurate perſequatur? Ille igitur inter alia multa, docet ex Moſe ben Maimon, Hebraicum צור *Tzur* (quod ſæpe redditur per vocem *Petra*) proprie ſignificare *lapidicinam*, vnde *eruuntur venæ lapidum*; Deum autem vocari צור, quia ipſe eſt principium & cauſſa per quem facta ſunt omnia præter ipſum. Ex hac Metaph. infert Petri Monarchiam non poſſe elici: *Nam etiamſi*, inquit Pater, *verum ſit Deum rerum omnium creatarũ Dominum eſſe, & abſolutiſſimum Monarcham: hac tamen Metaphora non adhibetur ad exprimendam dominationem, ſed ad indicandam originem rerum,*

rerum, & cauſſam exiſtentiæ; veluti ſane aliud eſt Deum dicere κοσμοκτίτην, aliud κοσμοκράτορα, quamuis Deus, etiam quatenus eſt mundi conditor, & creator vnicus, idem quoque ſit eius Dominus, & abſolutiſſimus Monarcha. Docet item ex Euſtathio, vocem πέτρας ſæpe antrum in rupe excauatum ſignificare, atque ex hac vocabuli notione notat ex Procopio Chriſtum eſſe dictum petram, ad denotandum τὸ κράτος, firmitudinem Eccleſiæ in Chriſto, velut in antro, & cauata rupe latitantis. Patet igitur neque ex hac Metaph. quicquam poſſe trahi ad Petri Monarchiam.

Alio loco loquens de principatu Petri, ait poſſe colligi ex his ſacræ Scripturæ locis, *& perſecutus eſt eum Simon, & qui cum eo erant, Dixit Petrus, & qui cum illo erant*, Σταθεὶς Πέτρος σὺν τοῖς ἕνδεκα, *Dixerunt ad P. & ad reliquos Apoſtolos*, fuiſſe aliquam inter Apoſtolos honoris diuerſitatem, quia ſcilicet ille loquendi modus ſit index alicuius ἐξοχῆς, cuius exempla cum varia ſint apud varios ſcriptores, vnum profert Pater ex Ariſtophane, ὦ ζεῦ καὶ θεοί.

Iam quæſo te, Lector, apud te cogitans exquire & diſpice, quid in his à Patre

ſit

ſit peccatum. ſi nihil inuenis, audi Roſwedum.

Quid, quæſo, Caſaubono Hebraicæ linguæ cognitio, ad illuſtrandas ſacras literas, ad Hiſtoriam Euangelicam reformandam contulit? Nempe vt intelligeremus cur Deus in Scripturis vocetur Petra. Ita enim ait. *Deus in Scripturis Tſur, hoc eſt rupes, vel petra dicitur, authore Moſe ben Maimon in More Nebukim admiranda doctrina ſcripto, quia ipſe eſt principium & cauſſa, per quam facta ſunt omnia præter ipſum.* Infert Caſaubonus: *Non igitur quia dominetur rebus omnibus creatis.* O inſulſum hominem! qui vt Hebraicæ lectionis aliquam notitiam oſtentaret, Iudæorum quoq; teſtimonio voluit Eccleſiam oppugnare, quod nihil eſt aliud quàm lupi ſuffragio, vt eſt in fabulis, agno vitam eripere, ſeque laute ridendum propinare. Quaſi vero non eo ipſo, quo Deus rerum omnium cauſſa & principium eſt, ſit earundem rerum Dominus ſimul & Monarcha.

Non impari fœlicitate Græcas quoq; literas ad ſacrarum literarum explicationem adducit. Quis enim hæc loca intellexiſſet, Marci 1.36. *Et proſecutus eſt eum Simon,*

Simon, & qui cum eo erant, Lucæ viij. &c. niſi Caſaubonus monuiſſet apud Ariſtophanem eſſe, ὁ Διὸς ὑὸς Πὰν. Quare aliqua inter Apoſtolos honoris diuerſitas eſt, cùm Petrus ſeorſim à reliquis nominatur, quia etiam apud Ariſtophanem Iupiter, reliquis Dijs non expreſſis elucet. Mirum profectò non veritum Caſaubonum, ne Pontificij ex Ariſtophanico hoc exemplo Petro imperium arrogarent, cum Ioui in reliquos Deos poteſtas & dominatus Poetis omnibus ſit decantatus. Iam verò cui vnquam in mentem veniſſet loci huius ſane difficillimi, in quo omnes Patres ſe torquent explicatio, Matth. 16. *Tues Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, niſi vnus Euſtathius Homeri Scholaſtes opem tuliſſet ex Iliados ο. ὑπὲρ ἐκ πέτρης &c. quo ſilueſtris capra è petrâ prodiens deſcribitur; niſi Euſtathius monuiſſet Petram ſæpe Homero antrum in rupe excauatum ſignificare? &c.

Poſſet hic à nobis de malignitate & iniquitate Roſwedi longa oratio inſtitui ſingula hæc illius accuratè excutientibus. Sed & nos breuitati ſtudemus, & eſt illa in his adeo conſpicua, vt perſpicaci Lectori ſit hæc ſimplex recitatio futura loco refu-

tationis

tationis ampliſſimæ. Quod æquè dici poteſt de omnibus fere, quæ hic, & alij Patris aduerſarij, præcipuè Eudæmon, contra eius ſcripta afferunt; quæ ſi attentius legeris & examinaris cõtendendo ea cum ipſis verbis Patris, malignitatem, fraudem, & artificium quoddam omnia bona recta malè narrando deprauandi deprehendes, præterea plerunq; nihil.

Vnum adhuc ſupereſt exemplum petitũ è libro Patris de Satyrica Poeſi, cuius pag. CLI. hæc ſcribit. *Nomen hoc κῶμος dubio procul cum naſcente Græciâ natum. Eſt enim purum putum Hebraicum, non vt placet Grammaticis, Græcum, prima origine.* קוּם *eſt ſurgere: Inde κῶμος, vt à* מוֹם *μῶμος. Et eſt κῶμος proprie ἀνάστασις τῶν δείπνων, eruptio à menſa in publicum. Tertullianus eleganter vertit, Eruptiones laſciuiarum, Aduerſus Gentes: Æquè oratio conuiuium dirimit. Inde diſceditur, non in cateruas caſionum, neq; in claſſes diſcurſationum, neq; in eruptiones laſciuiarum.*

Sic maluit, cùm poſſet vno verbo, (neq; comiſſatum) ὡδὶ τὸ κωμάζειν.

Quos hic clamores tollit Roſwedus! quos ſtrepitus excitat? *Vbi tu Varro! vbi tu Feſte? vbi tu Euſtathi?* Expectabam vt ex-

extremum illud adderet, *Viderent ne quid Reſpublica literaria detrimenti caperet*. Sed videamus an res hâc trepidatione fuerit, & his tantis digna clamoribus aduerſarij. Primum indignatur verbum, quod Græci quidam & Latini Grammatici aliunde ducunt, Patrem aſſerere primâ origine eſſe Hebraicum. Hic, Roſwede, aut pudendam inſcitiam, aut inſignem malignitatem prodis. An verò neſcis doctiores iam fere conſentire, pleraq; antiquiora verba Græca & ſimplicia, prima origine eſſe Hebraica? Nondumne vidiſti tot præſtantiſſimorum virorum egregios libros, quibus ſexcentas & amplius Græcas & Latinas quoque voces ab Hebraica lingua deducunt, & tanquam matrici ſuæ reddunt? an eorum labores explodendos dices, & irridendos, quia Grammatici Græci & Latini earum vocum origines non petunt ab eadem linguâ, cuius illi nullam vnquam notitiam habuerunt? An etiam id dices, verbum hoc *Sabbathum* Græcum eſſe, non Hebraicum, quia id Plutarchus, at qui vir? non vno loco affirmat & deducit ἀπὸ τῆ σκέζιν? vt taceam ſimiles alias non paucas puras putas Hebraicas voces, quas veteres primum ἑξαπλασίως

κωμάζειν (vt loquitur Greg. Naz. de voce πάροδος) pro genuinis Græcis habuerunt. Non meministi, ais, ineptius vnquam etymon te legisse, quia nempe non tantùm surgebant comessatores, sed ijdem quoq; veniebant. Ad hoc sane exemplum si exigas omnes etymologias, væ tuo Varroni, væ tuo Festo, væ Eustathio, & vno verbo væ antiquis & recentiorib' omnibus, qui hoc argumentum tractarunt. *Quis Casaubonum docuit*, inquis, κῶμον seu comessationem, *proprie esse ἀνάκλισιν ἀπὸ δείπνου, consurrectionem post cœnam? imò veteribus comessatio ipsum potius epulum, ipsa cœna lautissima, & petulantissima.* Vt de Tertulliani loco nihil dicam, & alia quæ ibi affert Pater, omittam, si verum sit, instam, & proprie sic dictam comessationem, & post cœnam & ἀνάκλισιν fuisse, quid tibi mirum videtur, si ipsa comessatio dicatur proprie ἀνάκλισις ἀπὸ δείπνου? Quid autem proprie fuerit comessatio vt scias, vnus, puto, tibi testis erit instar omnium, Andræas Baccius, qui cùm ciuis Romanus, & Pontificis medicus familiaris fuerit, putabis scilicet, pro tua pietate, nefas, de eius ἀναστροφῇ dubitare. Sic igitur ille,

libro de Vinis & conuiuijs antiquorum, p. 131. *Sicut jentaculum ante prandium, & merenda ante cœnam, sic nocturna erat post cœnam comessatio. Comessatio per simplicem consonantem scribitur, quod post cœnam, & intempestâ nocte vagantes, vel etiam stantes, nequaquam accumbentes comessarentur.* Tu autem quâ fronte dicas comessationem ipsam cœnam fuisse contra tot viros doctos, ipse vide. Illorum sane si scrinia compilare vellem, esset abunde quod tibi responderem; sed ipse te postmodum proprio gladio iugulas.

Hæc tria admodum exempla in magno editorum à Patre librorum numero curiosa Roswedi malignitas invenit, quæ traducendæ Patris eruditioni fugillaret: sed quibus, aut ego vehementer fallor, præ nimio carpendi studio se probauit ineptissimum.

Iam sigillatim respondimus ad omnia, vt opinor, quæ quoquo modo contra Patris doctrinam aduersarij afferebant. Nunc, quia eos video tanto conatu id agere, vt viri eruditi nomen illi demant, ego vicissim aliqua ipsis opponam, quibus efficiam, vt illos insani consilij pœniteat,

teat, aut ſi pergunt inſanire, & plura huius generis afferre, mihi reſpondendi illis nulla in poſterum ſit futura neceſſitas. Primùm igitur quæro de vobis, aduerſarij, quid de eo judicandum putetis, quem Rex Chriſtianiſſimus ad ornandam toto orbe celeberrimam ſuam Academiam literis honorificentiſſimis dignatus ſit evocare? quem tanto bonorum doctorumq; gaudio & gratulatione evocauit, vt hoc inter alias eius laudes non omittendum putarit Vir Illuſtriſſ. & immortali laude digniſſimus Iac. Aug. Thuanus, cuius hæc verba ex Præfatione ipſius ad Regem. *Sed eſt quod ante omnia tibi gratulemur ob Muſas ſedibus ſuis, vnde Martis rabies eas pepulerat, reſtitutas, & inſtauratam tuis auſpicijs Pariſienſem Academiam, cui & inſigne ornamentum addidiſti euocato Iſaaco Caſaubono, altero huius ſæculi lumine, eiq; commiſſâ Bibliotheca vera regia cuſtodia.* Apponam ipſarum literarum, quas ad Patrem Rex ſcripſit, exemplum.

Monſieur de Caſaubon, Ayant deliberé de remettre ſus l'Vniuerſité de Paris, & d'y attirer pour ceſt effect le plus de ſça-

uans perſonnages qu'il me ſera poſſible. Scachant le bruit que vous auez d'eſtre aujourdhuy des premiers de ce nombre. Ie me ſuis reſolu de me ſeruir de vous pour la profeſſion des bonnes lettres, en ladite Vniuerſite, & vous ay a ceſte fin ordonne tel appointement, que je m'aſſeure que vous vous en contenterez. Partant vous ne faudrez incontinent la preſente receue, de vous preparer à vous acheminer par deça, pour vous y rendre le pluſtoſt que le pourres commodement faire. Et afin que l'obligation que vous auez d'enſeigner en ma ville de Montpellier ne vous puiſſe retenir ou retarder, j'eſcris preſentement aux Conſuls d'icelle, qu'ils ayent à vous en tenir quitte & deſchargé, & à vous aſſiſter de ce qu'ils pourront en voſtre voyage, pour les fraix duquel j'ay donne l'ordre que vous entendrez par les lettres du Sr. de Calignon, Conſeiller en mon Conſeil d'Eſtat, ſur lequel me remettant je ne vous en diray icy d'auantage. Sur ce, je prie Dieu, Mr. de Caſaubon, qu'il vous ayt en ſa ſaincte garde. Eſcrit à Paris ce III. jour de Ianuier, 1599.

Henry.

Forget.

De-

Domine Caſaubone, cum Pariſienſem Academiam inſtaurare inſtituam, & in eum finem doctiſſimos quoſque, quantum in me erit, euocare: quia tu inter primos ex illo numero putaris eſſe, vti tua opera ad profeſſionem meliorum literarum in illa Academia conſtitui, ea quidem conditione, quam facile mihi perſuadeo tibi non diſpliciturum. Vide igitur, vt ſtatim atq; has acceperis, ad iter te accingas, vt quamprimum poteris te hic ſiſtas. Ne autem officij illius ratio, quâ teneris docere in vrbe mea Monſpelienſi, conſilio huic obſtet, aut tibi moras afferat: Scripſi ad Conſules illius vrbis, vt tibi eius gratiam faciant, teque rebus, quibuſcumque poterunt, juuent ad hoc iter. De viatico quid tibi proſpexerim, docebunt te literæ Domini Calignonis in ſacro meo Conſiſtorio Conſiliarij: ad quas etiam te reijcio, vt de reliquis intelligas. Vale. Datæ Pariſ. III. Non. Ian. ɔIↃ IↃ IC.

Henricus.

Forget.

Illene Grammaticus, vt in contemptum vocatis, & ſciolus, aut etiam vt quibuſdam placet, nullarum literarum homo, qui in celeberrimo illo & nobiliſſimo maximorum totius Galliæ ingeniorum congreſſu, cum quinque alijs ſedit arbiter? de quibus omnibus teſtatur eos fuiſſe Bulingerus, *lectiſſimos totius Galliæ viros*, Ipſe Cardinalis Perronius in Actis eius Colloquij ab ipſo editis, & poſtea à Iacobo Couthono in linguam Latinam conuerſis, *doctrinâ ſingulari & inculpatæ vitæ integritate præſtantiſſimos*, & ſpeciatim Boterius de ijs tribus, qui delecti fuerant è Proteſtantium partibus, dicit eos fuiſſe, *inſigniter & ad noſtri ſæculi miraculum eruditos*. Dicite porrò quæ cauſſa fuerit, cur illum plures Principes & Reſpublicæ habere ſibi cupiuerint, & propoſitis honeſtiſſimis conditionibus inuitauerint? cur ipſe Pont. Max. tanti fecerit, vt eum Romæ ſibi expeteret? Narrabat hoc Pater ipſe ex occaſione amico per literas, his verbis: *Maximi in Gallia Proceres ſciunt, à Clemente* VIII. *vocatum me eſſe Romam propoſito aureorum* ID CCC. *ſtipendio, ita vt nihilominus fruerer Regis mei*

li-

liberalitate & ſtipendio. Seruo omnis conditionis hominum ad ipſum literas; Regum, Ducum, Cardinalium, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & aliorum in illuſtri faſtigio virorum; tum doctiſſimorum quorumq; ex Italiâ, Hiſpaniâ, Poloniâ, Vngariâ, Moſchouiâ, &c. Ex his omnibus ſelectas aliquot centurias poſſem edere, ſi Patris exiſtimationem periclitari putarem, quæ eſſent integritatis eius & eruditionis luculentiſſima teſtimonia: & fortaſſe aliquibus illarum, merito ſuo luce digniſſimis, aliquando, Deo fauente, publicam lucem non inuidebimus. Nunc quia de eius eruditione agimus, non poſſum facere, quin addam partem Epiſtolæ viri ampliſſimi I. A. Thuani, quæ nuper publici juris eſt facta. Ille igitur poſt multas Petri Pithæi laudes, magnoq; affectu triſtiſſimè deploratam eius mortem, hæc addit. *Te verò, Caſaubone, Vir Doctiſſime, ille ſummopere inter omnes ſemper dilexit, & vnum ſæculo hoc eſſe dicebat, qui literarum per bella ciuilia exulantium acciſam ſpem excitaret, neq. nos de ijs plane deſperare ſineret: ac memini ſane, cum de literis inter nos ſermo eſſet, & oſtenderem ei Scali-*

geri noſtri literas, quibus te hodie principem inter literatos locum vel fatente inuidia obtinere ſcribebat, tanti viri de te praeconio illum magnopere gaudere ſalitum, ac latari, quod te Deus aduerſus imminentem Barbariem, ſic enim loquebatur, oppoſuiſſet. Itaq; mihi author fuerat vt te ad profectionem ad nos adornandam inuitarem, quod & ipſe crebris ad te datis literis, vt potè, fecit, &c. Anno Salutis CIↃ IↃ XCVI.

Quin autem voluit, aut non noluit ſaltem Andreas Schottus priuatas Patris ad ſe literas, quibus eum laudabat, ab Heriberto Roſwedo publicari, nos etiam quaſdam Schotti literas ad Patrem proferemus, ex quibus quid de eo ſenſerit apparebit, rogato prius ipſo Schotto, ſi forte nollet editas, Pythagoreæ legis vt meminiſſe velit, Ἔνιο μὲν τὸν ἑπόμενον λόγον ἐπιλαθέσθαι χρεών.

And. Schottus Is. Caſaub.

Ὦ διδύμη.

Quàm mihi grata tua ſint dici vix poteſt, Vir Magne, vnum vereor ne fallat nimius erga me amor, qui caecos reddit, quod ea mihi ad Ciceronem illuſtrandum adhortan

tanè tribuas, quæ in me agnoscere nisi ob auctorem nec possum, nec debeo. Quæstiones Tullianæ, &c. mox, Lectiones verò Tullianæ quæ pars altera erit per Mirarum nostrum ad te allegare placuit, vt precibus nobis impetrat, ne graue sit recensere pauca rum horarum jacturâ, si jactura ea est appellanda cum amico essagitanti officium præstes: quando meas esse aliquid putare soles nugas. Quamobrem quo plura, mi Casaubone, obelo fodies, damnabisq; re adhuc integrâ, tanto me tibi cariorem, ex animi sententia fecisse existimabo, &c. Tornaci Neruiorum Idib. Ian. anni ineuntis cIↃ IↃ CX.

And. Schottus II. Casaub. V. C.

χαῖρε.

Tuæ me literæ, doctiss. Casaubone, mirificè recreant, animumq; addunt, vt quam possim plura coner. Tullianas Quæstiones ad te mitti Antuerpiæ curaram. Vtinam nugas illas quas tu aliquid putas esse, legas, vt nos doceas de erratis. Præter enim bene merendi, rectaq; suadendi in honesta caussa, nihil fortasse admodum adferimus. Laudabitur conatus quo alijs lampada tradere vi-

videbor ijs qui ea volent calamistris inurere, ac Tullium exultantem reuocare. Certe in Tullianis lectionibus nostris quàm vellem notasses in quibus dissentires re adhuc integra. eo enim consilio miseram potissimum, vt quod vel ignotis præstas amicè officium, Schotto tuo non negares. Si ibi non vacabit, præsta in Quæstionibus, vt non displicuisse omnia, quia quædam notaris existimem. Sic bene tibi, bene mihi, &c. Tornaci a. d. Eid. Sextil. ɔlɔ Iɔ CX.

And. Schottus. Is. Casaub. V. C.

χαίρειν.

Tuas libenter accipio, doctissimè Casaubone, non tam quod conatus probes meos, in hac ingenij tenuitate, quàm quod candorem patefaciant, amoremq; erga me tuum prope singularem. Certe siquis mortalium te tuaq; obseruat, vnum me quoq; esse velim existimes. Romanè dico ac verè. Per ego te hanc dexteram rogo quæsoq;, vt cum Bibliotheca careas tua, & quidem vt scribis inuitus, nec iuuare, nec augere Spartam hanc nostram, vt maxime velles, nunc queas; recensere saltem hæc folia ne graueris horis subscisiuis, quæ Sauilio nostro V. C. vsui vtriusq;

triuſq; miſi, dum opere ad exitum adducto integrum cuiq; ſubmittam. Notes adhæc, deceaſq; cum κράλματα, ἀνθρωπ. γελοῖα; tum ſi quæ addi jubeas è tua excellenti memoria & doctrina, quæ inter omiſſa cum amica prædicatione referam. Conati ſumus, fatebor, tenues grandia, ſed viam vtcunq; munire, doctoreſq; excitare placuit. Tu, tu vnus hanc ornabis Spartam, ſi videbitur; potes enim; nos vt ille de Tireſia ait, velut vmbra per inane volitamus. Certe quibuſdam fuiſſe in tanta doctorum raritate videbimur; lampada melioribus tradam, vt in ſacris legendis prouerbijs ex vberrimo illo aurei oris campo, qui nunc in Britannia quoq; aperitur. Te id meditari, nuper admodum Pet. Pantinus noſter ad me perſcripſit. Quod ſi ita eſt, ſuſtinebo equidem me in remigio: Teq; iterum precor, obteſtorq; vt in his editis docere nos amice ne detrectes, aut tergiuerſeris diutius. Nec enim è vomentium es numero, itanec maledicendi vitium probas: qua in re libenter nomen adſcribo meum. Siquid vicißim à me officium vel tenue à tenui poſtulabis, faxo te apud immemorem poſitum ipſe aliquando ſentias. Vale, vir Magne, noſq; cum Sanilio re conſilioq;

in

in Græcis vtcunq; ornandis iuua. Antuerpiæ Idib. Septemb. ɔlɔ Iɔ CXI.

Possem plures eiusdem dare, sed hæ sufficiunt, quibus spero me Roswedo gratiam non male retulisse. Quid nunc respondebitis, obtrectatores aduersarij, primario Iesuitæ? quid alijs, de quibus iam diximus, omnibus? An *errorem hominis* cum Cretensi caussabimini, & tot principes viros, quantumq; fere eruditorum fuit hoc sæculo, temeritatis & *vanitatis* accusabitis potius quàm vt hominis, qui vobis in caussa religionis aduersus fuit, merita velitis agnoscere? Videnturne hæc vobis Patris eruditionem satis testari? Nihil nunc dicam (quod tamen erat hac in re primum) de Regum sapientissimi, & doctissimi iudicio de illo, quamve illi charus fuerit: pleriſq; satis notum, & ipsis in primis aduersarijs. Iam verò de scriptis eius quid dicam, & libris editis? dicam, non quod meus pudor vellet, sed quod istorum extorquet malignitas, Conuenite omnes Zelotæ, inuidi, maligni, maleuoli, omnis conueniat calumniatorum, & obtrectatorum cohors, conferte omnia vestra mendacia, conuitia, calumnias, atq;

om-

omnia artificia conferte: vos & vestra dies abolebit, Patris opera cum ipsis literis vigebunt, & erunt in pretio. Neque tamen negauerim ipsum aliquando erraſſe, aut in quibuſdam iure poſſe meritoq; reprehendi: ſcio illum hominem fuiſſe, ſcio præterea multa illum inter varias curas, atque moleſtias ſcripſiſſe, multa quoque feſtinanter. Si quis velit in eo operam ponere, vt eius errata corrigat, promitto ipſi ac ſpondeo rem eum facturum, non modo hæc ſcribenti filio (quæ noſtra συγκύδνια eſt) acceptam, ſed & pientiſſimis τῶ μακαρίτου Manibus (ἔστιν ἀνάπαυσις, vt ait Greg. Naz.) longe gratiſſimam: modo vt illum veritatem quæſiuiſſe, non odio aut partibus inſeruiſſe pareat.

Philippus Iacobus Mauſſacus, ingenio vir & doctrinâ inter paucos admirandus, multa ſe legiſſe monet alicubi in Patris Exercitat. quæ miram properantiam arguant: ibidem emendat aliquot eius, vt ipſe appellat, μεσεύλε. quis non laudet? nempe ſtudio veritatis adductum, non odij actum ſtimulis, aut maleuolentiæ. Sed adſcribam hic eius verba, vt Marruecinis ægre ſit. *Velim autem ſciat, Lector*

beue-

benevole, me nullo vana laudis aures mortalium titillantis desiderio hæc in magnum illum virum pro Cardinali Baronio & Lipsio obseruasse, sed amore veritatis, &c. mox, *ingenium, mores, & doctrinam illius viri semper magni feci, religionem nunquam gustaui, absit in eius charissimos manes insultandi mihi fuerit animus, quinimo vt eum viuum tanquam διδάσκαλον colui, ita μεταθνὼν amare pergo.*

Non alienum à loco aut proposito, si antequam huic opellæ finem imponamus, & indicem demus librorum quos edidit, & de ijs quæ reliquit ἀνεκδότα & ἀτελῆ paucis agamus.

Lucubrationes ab Is. Casaubono publicatæ.

Notæ in Diogenem Laertium. Hæ sæpius recusæ sunt, multò auctiores & emendatiores.

Theocriticæ lectiones. Has etiam secundâ editione multo fecit vberiores.

Notæ in Euangelia & Acta.

Strabo emendatus è Mss. cum Commentarijs.

Animaduersiones in Dionysium Halicarnasseum. Po-

Polyenus Græcè editus cum Notis.

Theophrasti Characteres cum Commentarijs: quibus secundæ & tertiæ curæ accesserunt.

Apologia Apulei cum Notis.

Suetonij editio cum Animaduersionibus. Has secunda & tertia editione admodum auxit.

Notæ in Plinij Epistolas.

Athenæus Græce editus, emendatus è Mss. & sexcentis locis suppletus.

Animaduersionum in Athenæum, lib. XV.

Historia Augustæ scriptores. Spartianus, &c. cum animaduersionibus.

In Dionem Chrysostomum Notæ.

Gregorij Nysseni epistola cum versione & Notis.

Persius cum Commentarijs.

De Satyrica Græcorum Poesi, & Romanorum Satyra, libri duo.

In Gregorij Thaumaturgi Orationem de Origine Notæ.

De Libertate Ecclesiastica, liber singularis. Huius pars tantum edita est, ob causſas ante memoratas.

Polybius, cum noua versione editus.

Æneas vetus scriptor editus & versus cum Notis.

Epi-

Epistola ad Frontonem Ducæum.
Epistola ad Cardinalem Perronium.
Exercitationes xvii. ad primam partem Annalium Baronij.

Præfationem in Martialem Scaligeri, Item aliam in Scaligeri Posthuma, Notas in veterem inscriptionem, & si quæ alia minuta, non referimus in hunc censum.

Solebat Pater dicere, hæc à se edita non esse multesimam partem ingentium suarum vigiliarum. meritò certè : tam multa, tam varia erant, quæ meditatus erat, & breui tempore potuisset absoluere. Nullum ferè librum legebat, saltem accuratius, in quem multa non notaret ; veteres autem plerosq; perpetuis Notis illustrauit Aduersariorum plures confecerat tomos, è quibus Miscellaneorum, Variorum, & similis argumenti libros nullo negotio depromere poterat, si fuisset animus. Nunc certa quædam nominabimus, quæ promiserat, & si Deus vitam suffecisset, erat editurus : non omnia autem nunc nobis occurrunt.

De venatione Amphitheatrali & ludis Circensibus ampli Commentarij.

Liber de Magistratibus Romanis. huius quan-

quantum perfecerat penes me eſt.

Commentarij in Ciceronis Epiſtolas ad Atticum. hos didici ab alijs eum ad prælum paratos habuiſſe. ego aliquam partem habeo.

Liber accuratiſſimus de Critica: in quo etiam Hebræorum Criticam fuſè explicabat.

Ingens Commentarius de re veſtiaria: cuius pars erat liber de Coloribus. Item alius de lectis & veſte ſtragulâ. vtriuſq; rudem indigeſtamq; molem habeo.

Commentariorum, ſiue, *Obſeruationum ad Polybium, lib. xvij. item Notæ ad Legationum Excerpta, & Diſſertationes Polybiana, quibus ſcientiæ militaris vſus explicetur.* De his ſic ipſe in præfatione ad Regem. *Præterea cum in eius libris*, Polybij, *& multa & magna difficultates reperirentur, quæ Lectorem in Græcis literis, rebuſq; antiquis præſertim bellicis, minus exercitatum remorari, & lectionis fructum omnem poterant impedire, nos ſtudio & diligentiæ contentione effecimus (efficere certè conati ſumus) vt omnes ſiue rerum, ſiue & verborum obſcuritates tollerentur, omnes remoræ amouerentur, omnia denique plana*

& facilia redderentur. Hoc præstabant Commentarij & Notæ. *Quynetiam memores eum authorem interpretari nos, qui tot locis profitetur, sicut vtendimus, id agere, vt in historia scribenda artem quasi quandam rerum gerendarum studiosis traderet: ipsi quoq; ad istud inceptum hoc proposito atq; hoc animo nos accinximus, vt eorum potissimum adolescentium studijs inseruiremus, qui ad negotia sese parant. Itaque in horum spem gratia parum adhuc visitatum istiusmodi scriptoribus explicationis genus, absit verbo inuidia, aggressi, rationem ijs indicauimus, ac veluti praire viam studuimus, quam si ingredi voluerint, certè ex historicis monumentis fructum, & ad rationes vitæ nequaquam pœnitendas vtilitatis poterunt referre.* Hæ erant Dissertationes. Erat hoc sine dubio omnium quæ vnquam susceperat, si forte illud excipias, cui immortuus est, opus multo maximum & labori fissimum. Omne genus militiæ recentioris & antiquæ, Græcæ, Romanæ, aut alijs gentibus vsitatæ, ex Hebraicis, Græcis, Latinis, Gall. Ital. scriptoribus ad illustrationem v. libri diligenter erat explicaturus. In Dissertationibus

tionibus autem, præcepta & obſeruationes militares ex optimis omnium temporum ſcriptoribus erat traditurus, tum nobiliſſima quæq; bella ac prælia expenſurus, cum rationibus & cauſſis variorum & improuiſorum euentuum, nihil deniq; toto illo opere omiſſurus, quod ad vſum aut ſcientiam rei militaris vllo modo pertineret. Additurus erat, atq; vna edituruſ, librum ſingularem de Vita Polybij, & Diatribam de optimo genere interpretandi ex vna in alteram linquam; quâ præterea de omnibus antiquorum ac præciputis neotericorum verſionibus agebat accuratè, & iudicium ſuum exponebat. Horum omnium nihil reliquit, nihil ego quidem habeo, præter indigeſtarum Notarum, & Excerptorum ad id propoſitum ex omni fere librorum genere immenſam ſyluam: ex quâ tamen parem eum fuiſſe tantis incæptis facilè, nec ſine admiratione cognoſcas. Pauca quædam ſunt nuper edita è primo Commentariorum libro: quibus tamen nondum vltimam manum impoſuerat: nonnulla etiam ſunt hic & illic omiſſa, vt reperi diligenter illa conferendo cum autographo.

Tractatus de doctrina Hildebrandina.

Confessio fidei ex Chrysostomo collecta.

Disputationes duæ : prima de Transubstantiatione ; secunda, de Sacrificio Christiana Ecclesiæ.

De vita & obitu Arnaldi Casauboni breuis narratio, oppositæ mendacijs nebulonis Iesuitæ, Andreæ Eudæmon-Iohannis Græculi Cretensis, Parricidarum patroni.

Vestigia linguæ Hebraicæ in Græca, siue, accuratissimam Græcarum vocum ab Hebraicâ lingua deriuatarum collectionem & examinationem, an aliquando promiserit, incertum mihi : fuisse tamen editurus ex eo videtur, quod reliquit eius operis.

Hæc omnia & alia quoque, mors eius immatura, & acerba vtcumq; in ætate prouectâ nobis inuidit. Vtinam saltem eorum, quæ reliquit, pars magna non omnino perierit & in illorum manus venerit, qui aut prement maligne, aut in proprios vsus abutentur, atque deprauabunt. Ego omnia quæ habeo, curæ diligentiæq; optimæ & venerandæ Matris accepta fero, quæ semper cauit sedulo, ne de ijs parum sollicita videretur, quæ ad mariti memoriam

riam famamq; pertinerent. Mariti, cum quo concordiæ, mutuæq; charitatis raro exemplo tamdiu vixit, quem mortuum nondum pia vxor eluxit, &, quantū Christiana pietas patitur, nunquam desiderarem desinet. Habeo quoque, ne quid omittam, multas Patris Epistolas, inter illas Græcas quasdam & Hebraicas: quas omnes vt ille non scripsit edendi animo, ita nulla me religio prohibet eas edere, quotiescunq; res tulerit, aut occasio aliqua postulauerit. De Ephemeridibus etiam, quia earum non semel ante mentionem fecimus, sunt pauca dicenda. Quod illæ genus scripti, nomen ipsum indicio est. Quod egerat, quod legerat toto die, paucis verbis in illas plerunq; referebat, & acti temporis rationem à seipso exigebat: quædam quoque prolixiora ex varijs occasionibus, quæ meminisse iuuaret, inserebat. Ego nihil ex ijs protuli, quæ non cuiuis sim paratus ostendere, vt alia quoque multa ad illud propositum facientia, quæ studio breuitatis omisi. Cepit eas scribere anno ætatis XXXIX. Cæterum ea in illis pietas, is veri zeli feruor elucet, quem ego non puto posse pro merito

prædicari: cui etiam vitam ipsius & facta concinuisse notum est omnibus, qui ipsum non ignorarunt. Hac enim ille inprimis virtute se censeri voluit; reliqua non tanti faciens, eamq; adeo suis liberis, dum vixit, & verbis & exemplo suo commendauit, vt nulla re magis à Patre degeneres se probaturi sint, quam si languere in ipsis studia pietatis, & zelum veræ religionis arguantur.

Iamq; habes, amice Lector, quibus ego parentare memoriæ μακαρίτου Patris mei sum coactus. Coactus, inquam, nisi pij filij existimationem decoquere vellem. Quo tamen in negotio moderationem & modestiam adhibui quantâ maximam sine causæ detrimento potui. Quod ipsum melius forsasse scient aduersarij, si pertinaci malignitate prouocare, neque ipsi quam fuere hactenus, modestiores euadant. Habeo enim alia multa, quæ nunc condonabuntur, quæ proferentur post, si pergant lædere. Quare eos ego, vt verbis Comici loqui pergam, Dehinc vt quiescant porro moneo, & desinant maledicere: aut si maledicta continere nequeant, saltem vt ijs viuos & respon-

ros

ros petant, cum laruis luctari desinãt, suam defunctis pacem, requiemque, diuinis & humanis omnibus legibus sancitam, non inuideant.

FINIS.

Errata graviora, quæ nobis occurrerunt, quæ corrigenda sint, infra notauimus. Cætera, de tua humanitate promittimus nobis, Lector, te æqui bonique consulturum.

Vbi reperies, Arnoldus, lege Arnaldus. vbi Roswedus, l. Roswеydus. p. 11. lin. 7. leg. Frontoneum. p. 28. l. 21. l. ab. p. 48. l. 9. l. ἀλλὰ τὰ ὑπὲρ. p. 55. l. 13. l. quanta. p. 58. l. 1. l. βιβλιοθήκαι. p. 59. l. 4. l. sanctus. ib. l. 13. l. experiremur. p. 73. l. 26. l. potiretur. p. 77. l. 6. d. Viro Clar. ib. l. 7. l. Animum m. V. C. &c. p. 120. l. 19. l. congregatos. p. 23, dele in margine (Vide vitam) & scribe, Vide Vitam G. S. ab eius contubernali scriptam, & iam sæpius editam. p. 37. l. 12. d. Laici, s. Academici. p. 152. l. 23. l. qu. tu esse al. p., in l. Fo. p. 155. l. 3. l. ib. l. 21. l. vt enim nec è &c.

THEOLOGICAL SEMINARY,